ACCADEMIA DI MEDICINA DI TORINO

DE ANEURYSMATICIS
PRAECORDIORUM MORBIS

DISSERTATIO
IN THESES DIVISA

QUAS
Annuentibus Illm̃is DD Magnifico Rectore,
Decano, Profeſſoribus, & Aſſiſtentibus
Facultatis Medicae DD. de Collegio

AD CONSEQUENDAM
**PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE
LAUREAM**

IN
*REGIO-CAESAREO ARCHIGYMNASIO
TICINENSI*

CAJETANUS LOMBARDINI
MEDIOLANENSIS
ALMI COLLEGII CASTILL. ALUMNUS

Publicae diſceptationi ſubiecit
*Facta cuilibet Medicinae Doct. contradicendi
Facultate*
Prid. Kal. Quintil. MDCCLXXVII.

TICINI REGII
Apud Marcum Antonium Porro, & Joſeph Bianchi
Cum Approbatione.

E I 8

=TΦΦEΦ32734=

PETRO VERRO COMITI
AMPLISSIMO CIVIT. MEDIOLAN.
LX. VIRO
AUGG. ET REG. HUNG. APOST.
A CONSILIIS SECRETIORIBUS,
AUREAE CLAVIS EQUITI,
MAGISTRATUSQUE CAMERAL.
PRO PRAESIDI, EC.

CAJETANUS LOMBARDINI

MIrum fortasse cuipiam videbitur, quod Tibi VIR EXCELLENTISSIME, levissi-

mum hoc opuſculum auſim inſcribere; Tibi, inquam, cui rebus ſummis, graviſſimisque diſtento (quas ita geris, ut ubique juſtitia, aequitas, & publicum bonum emineat) vix licet oculos vel propere conjicere in libellum, in quo ea pertractantur, quae a tuo inſtituto, tuisque praeclaris ſtudiis quam longiſſime abſunt. Sed continuo mirari deſinet quicumque probe noverit, Te acri ingenii a-

cie, ſingularique in optimas quasque disciplinas amore adeo in his quoque profecisse, ut non effugerit tuam indaginem ipsamet Medicinæ scientia, quemadmodum edita a Te specimina, & magnis excepta laudibus oſtenderunt. Hinc caussam habes, cur hunc ingenioli mei, qualiscumque ſit, foetum Tibi ſiſtam, certo sperans, Te non magis Judicis partes, quam Patroni mecum obiturum. Immo illud etiam fore confi-

do, ut splendidiſſimo tuo nomine conspecto, Censores omnes deterreantur: quod beneficium tanto magis mihi erat necessarium, quo minus ingenio, doctrina, ac aetate valeo, utpote qui in hujusmodi ſtudiis quatuor abhinc annis tantummodo versor. Te igitur enixe obteſtor, ut auctoritate tua, tuoque favore nedum libellum tuearis, verum etiam me ipsum, qui adolescens adhuc aliquam ſtudiorum meorum

ſigni-

ſignificationem daturus egeo equidem eo patrocinio, quod ad majora, & Te magis digna me alliciat, incitet, perducat. Excipe igitur benigne, ac humaniter, ut soles, VIR EXCELLENTISSIME, hoc animi, & obſequii mei veluti argumentum, meque, quod unum peto, exoptoque, in tuam tutelam recipere non dedigneris.

Diſſertationem de Aneuryſmaticis praecordiorum morbis plane dignam, quae publicam lucem aſpiciat: E Regio Caeſareo Archigymnaſio V. Idus Quintil. MDCCLXXVII.

Martinus Natali C. R. Schol Piar. S. T. D.,
Catholicorum Dogmatum P. Profeſſor,
& Cenſor Librorum.

Diſſertationem de Aneuryſ. praecordiorum morb., & publicae comendationis, & editionis dignam cenſeo.

J. C. C. Marchio Joſeph de Belcredo Antiq. Jur. R. Prof., & Lib. Cenſor.

MDCCLXXVII. die XIV. Julii

IMPRIMATUR.

De FELBER Regius Duc. Mediolani Senator, & Papiae Praetor pro Magiſtratu rei Litterariae procurandae

J. C. Gandini Reg. Act. Cancell.

CAPUT I.*

De Aneuryſmatis etymologia, differentiis, ejuſque diviſionibus in genere.

I. ID, quod LATINI *arteriae dilatationem* appellant; a GRAECIS *aneuryſma*, ARABIBUS *Hyporiſma*, vel *Aporyſma*, vel *Emboryſma* nominatur.

II. Aneuryſmatis etymon non omnes una ratione explicant. HIERONYMUS MONTUUS (*a*) Aneuryſma in enervationis vocabulum tranſtulit a particula *α* privativa, & *τῦ νεύρου*: ideſt a nervo. SYLVATICUS autem (*b*) deducit a verbo *εὐρύνω*, ſcilicet dilato; demum MARCUS AURELIUS SEVERINUS (*c*) dici aneuryſma arbitratur a dictione *ἐυρλωειν*; quae apud Latinos idem ſonat, ac *effluere*, & *exilire*; nos vero Sylvatici etymologiam ſequimur.

III. Nec ſolum inter ſe diſſentiunt Auctores circa iſtius nominis originem; verum etiam de ipſius morbi definitione haud conveniunt. GALENUS (*d*), enim inquit, *aneuryſma, ideſt dilatatio eſt relaxatio venoſi vaſculi, aut diſperſio ſpiritualis materiae ſub carne per diſſultationem ſe ſe diffundentis, diſtribuentiſque*; & alio loco (*e*) *ore autem in* ar-

(*a*) Vid. Lanciſ. de aneuryſm. in gener. Lib. 1. prop. 1.
(*b*) In differt. cui titulus eſt. De aneuryſmate tractatio.
(*c*) De noviſ. obſ. abſceſſ. cap. 7. pag. 170.
(*d*) In Lib. Iſagogic. definit. Medicae.
(*e*) Claſſ. 3. cap. 11. lib. de tumoribus praet. natur.

arteria facto affectio aneuryſma vocatur; fit autem vulnerata ea, cum ad cicatricem devenerit quae ei adjacet cutis: manet vero arteriae ulcus ea neque conglutinata, neque ad cicatricem perducta, neque a carne obſtructa.

IV. GALENUS itaque ſub uno aneuryſmatis nomine tam arteriarum, quam venarum dilatationes, diſruptioneſque comprehendit; ſimulque unam ex variis cauſſis aſſignat, arteriae ſcilicet vulnus, quod in cauſſa eſt aneuryſmatis; clariuſque ibi ſe explicat, ubi (*a*) inciſam arteriam aneuryſmate facillime corripi ait, quod ab ORIBASIO (*b*) etiam comprobatur. AETIUS (*c*) tumorem a Graecis *aneuryſma* dictum, tunc fieri docuit, quando cuti cicatrice obducta, neque tamen arteriae vulnere obturato, Sanguis infra cutim effunditur: & alio loco (*d*) vaſorum dilatationem aneuryſma eſſe dixit. ACTUARIUS ZACCHARIAE Filius (*e*) Graecos aneuryſma arteriae dilatationem definiviſſe aſſeruit. AVICENNA (*f*) ex diſrupta arteria abſque cutis ruptione *apoſtema* (*g*) non leve ex ſanguine, & ventoſitate *Emboryſma* dictum, fieri nos docuit. HALY ABBAS (*h*) inter Medicos Arabes primum tenens locum, *aporyſma* arteriae hiatum ex neceſſitate continere apertiſſime teſtatus eſt; quod ab ALBUCASI etiam confirmatur (*i*).

V. Ex hactenus dictis colligimus, aneuryſma apud Graecos vaſorum dilatationem, vel diſruptionem eſſe, ita tamen, ut tumorem pariat; tum ſub vaſorum nomine non tantum arterias, verum etiam venas ab ipſis Graecis compre-

---

(*a*) Lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. 22. & 23.
(*b*) Lib. 7. Collect. Medicinal. cap. 13., & 14.
(*c*) Tetrab. 4. Sermon. 2. cap. 51. ad initium.
(*d*) Serm. 3. cap. 10.
(*e*) Lib. 3. ſu. meth. med. cap. 2.
(*f*) Lib. 1. Fen. 4. tract. 2. cap. 16.
(*g*) Sive abſceſſus ſub hoc nomine Hippocrates intelligit humorum collectiones non ſuppurantes, ut varices: vid. Caſtelli Lexi. voc. abſceſſus.
(*h*) Lib. 8. ſuae theoriae cap. 17.
(*i*) Lib. 2. ſuae Chirurgiae cap. 4.

prehendi, qua potiſſimum de cauſſa, ecchymoſim, & aneuryſma ſub eodem genere repoſuit Albucaſis (*a*).

VI. Hinc illorum ſententiam rejicimus, qui a ſola arteriae ſectione aneuryſma oriri juxta allatam GALENI (*b*), aneuryſmatis deſcriptionem, & originis cauſſam aſſerunt, quam ipſe confirmat *in lib. de curand. rat. per ſang. miſſ.* (*c*); & alibi (*d*), idem ſentientibus ORIBASIO, & AVICENNA.

VII. Nam ſi attente commemoratum perpendiſſent GALENI textum, ubi inquit *inciſam arteriam aneuryſmate facillime corripi*, conjicere ſane jure potuiſſent non una tantum ratione, nempe ex vulnerata arteria, ſed alia, nimirum ex venoſi vaſis diſtenſione, ut apertiſſime conſtat ex ipſius GALENI verbis (n. III.) citatis.

VIII. Concedimus quidem ex omni continui in arteria ſolutione, ſive per *diabroſim*, *diereſim*, *diapedeſim*, *anaſtomoſim*, vel per *rhexim aneuryſma* gigni, ut aliqui ALBUCASIS, & AETII auctoritate innixi opinantur; dummodo ad cujuſvis aneuryſmatis ſpeciem efficiendam arteriae diruptionem requiri non velint, & aliquando ſolam dilatationem ſufficere admittant.

IX. Nam non deſiderantur qui aneuryſmatis verbum ſtricte interpretando, tantum ab arteriae dilatatione, nulla cum evidenti continui ſolutione aneuryſma excitari ideo potiſſimum arbitrati ſunt, quia ACTUARIUS Graecos arteriae dilatationem aneuryſma dixiſſe teſtatur.

X. Quare non eſt, cur deſcriptos tumores a quacunque cauſſa ortos, uno aneuryſmatis titulo non complectamur; quoniam tali pacto tot confuſiones evitantur, quae Poſteris Veterum monumenta pervolventibus occurrent: ſiquidem antiqui Medicinae Patres indiſcriminatim ad hoſce tumores deſcribendos hujuſmodi vocabulo utuntur.

(*a*) Lib. cit.
(*b*) Lib. de tumor. praet. natur. cap. 11. (*c*) Cap 22.
(*d*) Lib. 5. Metod. meden. ad init. cap. 4.

XI. Quapropter hoc aneuryſmatis nomen, ut genericum retinemus, ex quo tot ſpecies deducimus, quot uno, vel alio modo aneuryſmata nata ſunt.

XII. FERNELIUS cenſetur primus, qui a Veterum ſententia circa aneuryſmatis naturam receſſit. Vir enim iſte Clariſſ. cum aneuryſmatis etymon, nec non ea expenderet, quae variis in cadaveribus detexit, varias nimirum, tum aortae, tum aliarum arteriarum diſtenſiones abſque ulla diruptione, ſibi ſuaſit aneuryſma, arteriae dilatationem tantum eſſe, minime vero diviſionem.

XIII. Ad Clariſſ. FERNELII opinionem ſtabiliendam acceſſit obſervatio Celeb. VESALII referentis ſe anno MDLVII. Nobil. Leonardum Vellerum inviſiſſe, qui ex effraenati equi ſaltu, & concuſſione corripiebatur vehementi dorſi dolore, poſtea tumor aliquis ſpinam circum pulſans deprehendebatur, quo in caſu ſtatim pronunciavit aneuryſma eſſe arteriae aortae, atque veritas hujus diagnoſis ex ipſius cadaveris ſectione patuit (*a*).

XIV. Contra autem SENNERTUS in interioris arteriae tunicae abruptione (Veteres ex duabus tunicis arterias conſtare putabant) aneuryſmatum naturam repoſuit, quod jam ipſe monuerat HILDANUS; nequidquam obſtantibus FORESTO, & DIEMERBROECHIO, qui FERNELIUM ſecuti erant (*b*).

XV. FREINDIUS vero (*c*) Veterum eorum opinionem, qui ex ruptione tantum arteriae aneuryſma proficiſci docuerunt, inſtaurare, noviſque rationum momentis confirmare conatus fuit, ex male intellectis, ut nos monet Clariſſ. JAMES, (*d*) PAULI AEGINETAE verbis. Non enim Paulus in ea videtur fuiſſe ſententia, ut crederet ex ſola abruptione aneuryſma oriri; quoniam evidenter diſtinguit aneuryſ-

(*a*) Vid. Ponet ſepul. anat. lib. 4. ſect. 2.
(*b*) Vid. Freindii hiſtor. medic.
(*c*) Lib. ſup. cit.
(*d*) Dizionar. medic. vid. aneuryſma.

ryſma verum a ſpurio, a diruptione ſcilicet, vel a ſimplici dilatatione profectum. Inquit enim εἰ μὲν κατ' ἀνευρύσμον ὁ ὄγκος ἐγένετο. Quod CORNARUS ita traducit. *Si ex apertione tumor factus eſt*. Tandem idem JAMES hiſce verbis latine redditis concludit. Mihi videtur alio in loco PAULUS AEGINETA binas ſtatuere aneuryſmatum ſpecies, unam ſcilicet per ἀναστόμωσιν ἀρτηρίας. Aliam κατάρρηξιν. Verum ſicuti hic anaſtomoſis verbum in illa ſignificatione accipi neutiquam poteſt, quam communiter Graeci Auctores ei tribuunt, & ſicuti PAULUS anaſtomoſim poſtea per ἀνεύρυσμον interpretari videtur, ubi ſcilicet de illius operatione verba facit, hinc hoc in caſu anaſtomoſin aneuryſmatis ſynonymum eſſe crederem.

XVI. Nec abs re ducimus praecipua FREINDII argumenta ad trutinam vocare, atque Lectores hac ſuper re Judices conſtituere. Hic igitur doctiſſ. Vir (*a*) circa SENNERTI, & HILDANI opinionem ait: *neque concipio, qua ratione hujuſmodi aneuryſma formari poſſit, niſi cum a punctura oriatur, quae tamen interdum etiam ambas tunicas perforat. Nam ubi cauſa interna eſt, improbabile prorſus videtur, ut ea vis, quae perrumpendae interiori tunicae ſuffecerit, reſiſtentiam ullam ab exteriori inveniat, quam altera quinque vicibus ad minimum eſſe debiliorem omnes fatentur.* Suam autem probare nititur propoſitionem Auctoritate Clariſſ. SOPORTAE, qui FERNELII tempore florens tres caſus omnibus cum ruptionis indiciis refert, nec non BARTHOLINI, HORNII, LANCISII, aliorumque, qui varias arteriarum abruptarum obſervationes nobis tradidere.

XVII. Ultimo loco in medium profert tres Clariſſ. LITTRII hiſtorias in ACTIS ACADEMIAE PARISIENSIS recenſitas, in quibus ſimplicem tantum arteriae dilatationem ſe inveniſſe ſcribit. Verum harum obſervationum vim quaſi effugere cupiens, ita infert. *Quamquam vero eorum minuta, & accurata ſit deſcriptio, inhaeret mihi ſcrupulus, neque*

per

(*a*) Pag. 52. ejuſdem lib.

perſuaderi poſſum nihil hic fuiſſe, niſi arteriae tunicarum dilatationem.... Neque vero contra illud hoc abſurde dixerim humores extravaſatos membranam ſibi propriam effingere, quae minime pars ſit vaſorum, unde humores iſti profluxerint (*a*).

XVIII. Hanc autem ſuam opinionem confirmare ſtudet Sapientiſſ. RUISCHII obſervatione ex aneuryſmate in thorace contento deprompta, quod abſque externo tumore totum ejus cavum occupaverat, & innumeris, craſſisque tunicis conſtabat laminarum inſtar ſibi invicem incumbentibus, inter quas multum coagulati ſanguinis includebatur.

XIX. Hujuſmodi exempla non deeſſe apud SEVERINUM, MARCHETTUM, alioſque ſcribit ipſe FREINDIUS, & coronodis loco auctoritatem refert Doctiſſ. WISEMANNI, qui ſemper ſe utramque arteriae tunicam apertam inveniſſe narrat, unde idem FREINDIUS concludit: *Quoniam id argumentum omnium validiſſimum eſt, quod ex factis ipſis profertur, illud amplius ſubjicere debeo, quod inter omnes diſſecti Aneuryſmatis traditas ab Anatomicis narrationes, vix unum, quod quidem amplum fuerit, inveniatur, in quo non eſſet juxta Pauli doctrinam in arteria ruptio. Ea quae a me dicta ſunt, ſatis credo, oſtendunt quantum a veritate abhorret iſta a recentioribus quibuſdam aneuryſmatum in vera, & ſpuria facta diſtinctio. Nam differentia omnis iſta in tumoris figura conſiſtit, ac ſi quis iſtorum in hoc argumento diſputationes examinet, diſtinctionem hanc uti plerumque in theoria falſam, ita quoque in praxi nullius eſſe momenti comperiet.*

XX Hoc pacto veterum, quos (n. xv.) memoravimus, opinione confirmata, gradum facit ad difficultates ſolvendas, quae ab Auctoribus quibuſdam ad arteriae dilatationem tuendam relatae fuerunt, ex quibus has duas, ut ipſe credit, praecipuas deſumpſit. Quomodo ſcilicet ſi ſanguis a canalium membranis non coërceatur, pulſatio ob-

(*a*) In eod. lib.

obſervetur? Et ſi ſanguis extra vaſa effuſus ſit, quare juxta HIPPOCRATEM (*a*) in pus non vertatur?

XXI. Quibus difficultatibus levi negotio ſequenti modo ſatisfacere autumat. Inquit enim: *Quod ad pulſationem pertinet, certe non difficulter comprehendi poteſt, ſanguinis jugem in arteriis impulſum huic quoque neceſſario motum communicare, qui contiguus ei, quamquam extravaſatus, jacet.* Hoc autem variis cum rationibus defendere magis, atque magis laborat. Porro haec etiam ad ſecundae objectionis ſolutionem accommodari poſſe ait: *Nam ſi tumori motum communicari concipiamus, facile comprehendemus etiam, qua ratione idem motus ſanguinis putrefactionem arceat, perinde ac ſi in arteriae tunicis contineretur, diſtenſione tantum ampliatis* (*b*).

XXII. Haec autem argumenta FREINDIUM a SYLVATICO ipſo mutuatum eſſe aſſerimus. Nam in ſua de aneuryſmatis tractatione, ubi ad eaſdem has petitiones reſpondet, poſtquam opinionem illorum confutaſſet, qui, ut hoc phaenomenon explicarent ad *arterialis ſanguinis*, ut ajunt, *majorem caliditatem, ſubtilitatem, ſpirituoſitatemque* confugere (quod falſum eſſe vel leviter conſideranti patet: ſanguis enim arterioſus in humano corpore parum, vel nil a venoſo differt, quod GALENUS (*c*) aliquo modo jam admonuerat) difficultatem ita ſolvit. *Illud ſanguini huic evenit, quod lacuſtri aquae in ipſius lacus alveo imputri permanenti, quamquam non fluat, ſed perſiſtat. Id propterea fieri Philoſophorum multi dixerunt, quia quae aſſiduo ab ipſo lacu educitur aqua, vel a terrae rimis, & a ſole aſſidue ebibitur, ea a flumine, fonte, marive lacum producente aſſidue, & multo cum foenore reſarcitur, & ad illum tranſmittitur, ut hinc motum quemdam aquae ſecretiorem, corruptionemque impedientem colligere licet, ſecus ac paludibus eveniat, in quibus cum nihil aſſidue fluat, & ſaepe*

non

(*a*) Aphoryſ 20. ſect. 6.
(*b*) Supracit. lib. (*c*) Lib. de inequalit. intemper. cap. 4.

non refluat, putreſcunt majori ex parte aquae. Pari itaque, *aut certe non multum diſſimili ratione imputris in aneuryſmate diu permanet ſanguis, quia ob naturalem arteriae pulſationem a cauſa praeternaturali ſine dubio auctam, & ob ſpirituoſam ſanguinis arterialis conditionem, arteriae foramine illius ingreſſum, & egreſſum minime recuſante, fluit ſedulo, ac refluit in hoc tumore ſanguis. Adde, & eum, qui tumore afficitur, vana quadam evaneſcentis per compreſſionem tumoris delectatione allicitum, ſaepius illum comprimere, inque effluxum ſanguinem, cum non effluxo miſceri, & qui ſemel exiliit, alias intus permanere* (*a*). Quod ultimo addit, locum tantum habet in aneuryſmatibus, quae aegrotans comprimere poteſt in externis ſcilicet, de quibus agit ipſe SYLVATICUS.

XXIII. Ut vero primae (n. XVI.) FREINDII difficultati reſpondeamus, animadvertendum eſt experientiae, rationique valde conſentaneum eſſe, laxata quomodocumque, aut exeſa, aut diffracta interiore arteriarum compage, eas in tumorem attolli, atque in ſaccum aneuryſmaticum erumpere. Nam ſi acri erodente ſalino principio interior vaſis tunica corroditur, eadem debilitetur, neceſſe eſt: quare a ſanguine priſtina vi impellente ſenſim dilatabitur.

XXIV. Nec juvat reponere, ſi ſemel vas diſtendi inceperit, magis magiſque ſemper ampliari debere; nam ſi eadem cauſſa agat, eundem ſemper edet effectum: ſcilicet ſanguinis circuitu perſeverante, continuo vas ipſum extendi debebit.

XXV. Ratio hujuſce phaenomeni in promptu eſt. Quamprimum enim vas aliquo in loco dilatatum fuerit, ibi minori impetu ſanguis fluit, uti conſtat ex hydraulicis obſervationibus, & nos monent Clariſſimi HALLERUS (*b*) & SPALLANZANI (*c*): Iſti enim in animalium, potiſſimum

(*a*) Cit. diſert. pag. 25.
(*b*) Deux memoires ſur le mouvemant du ſang.
(*c*) De Fenomeni della circolazione del ſangue.

mum frigidi ſanguinis, aneuryſmatibus obſervarunt ſanguinis velocitatem minorem eſſe, atque hanc rurſum adipiſci, quando per vas naturalis diametri movebatur. Inſuper vas jam dilatatum majori vi reſiſtit propriae dilatationi, quod ex phyſicis experimentis compertum eſt.

XXVI. Ex his ergo patet, vas ſemel dilatatum magis magiſque ſemper ampliari non debere. At ſi arteria diſciſſa fuerit, nonne idem obſervabitur effectus? Quare hoc FREINDII argumentum HILDANI, & SENNERTI opinionem nequaquam infirmat.

XXVII. Nec pluris exiſtimanda SOPORTAE, BARTHOLINI, HORNII, aliorumve auctoritas, qui varia vidiſſe aneuryſmata non ab arteria dilatata, ſed ab eadem diviſa, aut diſrupta exorta aſſerunt. Largimur enim, & nos ipſi aneuryſmata cum continui ſolutione detecta fuiſſe, quae *ſpuria* (*n.* IL.) vocabimus: Verum VALSALVAE, MORGAGNI, ut infinitos alios omittamus, obſervationibus ſuffulti, exiſtentiam aneuryſmatum a ſimplici vaſorum dilatatione pendentium defendimus.

XXVIII. VALSALVA enim in quodam Ciſiario arteriam *magnam induratam* vidit, intuſque oſſeis ſquamis praeditam, & *ita dilatatam*, ut aneuryſma trium digitorum longitudinem aequaret, in quo tamen manifeſtum rupturae indicium non apparuit (*a*); quin immo in paupere quodam ſexagenario cor tantae magnitudinis obſervavit, ut bubulum adaequaret; ſiniſter enim ejus ventriculus cum connexa aorta ita erat dilatatus, ut cor humanum naturalis molis continere facile poſſet, cujus ventriculi parietes tenues admodum erant, *ut vix motum cordis* ſuſtinere potuiſſe viderentur: aortae vero interna membrana in ſubſtantiam cartilagineam degeneraverat. Jam vero hac in obſervatione idem Auctor nullam mentionem facis tum de cordis, tum de aortae ruptione, nec de aliquibus ſignis, ex quibus hanc extitiſſe, conjicere poſſimus: & aliam nec diſſimilem hiſtoriam habet de quodam viro

 quin-

(*a*) Vid. Morgagn. epiſt. XVII. art. 17.

quinquagenario, in cujus cadavere; *Cor mole auctum.... & magna arteria prope cor dilatata erat in aneuryſma*, cujus interni parietes oſſeis hic illic ſquamis obtegebantur (*a*).

XXIX. MORGAGNUS quoque ſua obſervata proponit, quae ad ſcopum noſtrum apprime ducunt. In primis refert de octogenaria (*b*), in cujus cadavere *cor* erat *mole* auctum, & aorta a corde ad primum uſque orificium ſuperiorum ramorum maxime *dilatata, & toto ferme eo tractu operta intus ſquamulis oſſeis, & nihil magis quam creberrimas albae cerae guttas referentibus, poſtquam in pavimento refrixerunt*. Nec ab his valde diſſident, quae recenſet, ſe in aliis obſervaſſe (*c*), atque harum obſervationum narrationem, ne taedio ſimus, juvat ſilentio praeterire.

XXX. Ex his igitur inferendum eſt, cum MORGAGNUS anatomicus expertiſſimus, verique amantiſſimus, ubi arteriarum ruptiones, aut futurae diſruptionis indicia vidit, aperte iſtas indicaverit, jure ac merito nos propoſitionem XXVII. poſuiſſe. Ad hanc vero confirmandam adde, nos certos non eſſe, utrum ſcilicet omnia aperta, diſruptaque aneuryſmata, quae in cadaveribus ſe deprehendiſſe teſtantur Auctores, vivis in hominibus jam diu talia extitiſſe, an vero in mortis articulo tantum contigiſſe, quod in non nullis utpote frequentiſſimum, & veroſimillimum multi medicinae ſcriptores crediderunt.

XXXI. Quoniam vero de arteriarum futurae oſſificationis indiciis, de ſquamulis oſſeis, & de ipſis arteriis penitus oſſificatis ſupra jam facta fuerit mentio, & infra rurſus fiet; ad alias a FREINDIO contra noſtram opinionem oppoſitas difficultates diſſolvendas non inutile pauca alia in ſequentibus adjicere exiſtimamus, quae majorem quaeſtioni lucem afferent.

XXXII.

(*a*) Morgagn. ead. epiſt. art. 25.
(*b*) Epiſt. XVIII. art. 28. (*c*) Ead. epiſt. art. 30., & ſeq.

XXXII. Et primo arterias in vere oſſeam aliquando naturam mutari contra illos omnes affirmamus, qui has nunquam oſſificari aſſeverant, illaſque duras ſquamulas, quas nos oſſeas vocamus, nihil aliud eſſe, quam *materiam tartaream* dictam, quae ad lithyaſis formationem concurrit. Animadvertendum tamen eſt, nos non inficiari tartarum hoc in arteriarum caveis, aliiſque locis aliquando colligi: ſed hujuſmodi tartareae concretiones veris ab oſſificationibus certo certius diſtingui poſſunt.

XXXIII. Concretiones enim calculoſae nec flexiles, nec elaſticae ſunt, nec in prunas injectae foetorem illum exhalant, qui ex combuſtis oſſibus percipitur, nullamve nigredinem ad ignem adipiſcuntur. Inſuper ſi haec dirumpantur, nullum, aut fere nullum ſtrepitum edunt, & in minima fragmenta diſſiliunt, contra ac evenire ſolet, ſi frangantur modo dictae oſſificationes, quamvis ſicciſſimae ſint.

XXXIV. Ut vero notum ſit, Clariſſ. MORGAGNUM relatas obſervationes diligentiſſime inſtituiſſe, ipſum hac de re loquentem audire praeſtat.... *Sed hoc unum dicam, me quoque, cum oſſeas voco, non aliud, quam ſimilitudinem ſpectare, nec quando revera oſſeas, aut vera oſſa non modo in arteriis, ſed & alibi fuiſſe, ſcribo, aliud mihi velle, quam ne forte ſuſpiceris, qualeſcumque duras concretiones a me temere, & nimis facile pro oſſeis acceptas; ſed ut certo ſcias, quas oſſeas voco, attente conſideratas reapſe oſſeis tanto ſimiliores viſas eſſe, quanto lapideis, tophaceis, gypſeis, calculoſis diſſimiliores* (*a*).

XXXV. Nec video, cur tam acriter arteriarum oſſificationem impugnent, cum res ipſa non admodum difficilis ſit intellectu. Nam ſi haec a majori, validiorique ſanguinis impetu in earum parietes irruentis repetatur, hoc conveniet cum IMMORTALIS BOERHAAVII mente

(*a*) Epiſt. XXVII. art. 20.

te a pleriſque probata, qui *Senectus* inquit (*a*), *& vita laborioſa muſculos fere totos tandem in tendines, hos vero in cartilagines, & oſſa permutant*. Praeterea ſenum carnes duriores eſſe docent Anatomici, nec non vetuſtorum animalium carnes difficillime, & coqui, & dentibus triturari, & a ſtomacho digeri, omnibus compertiſſimum eſt.

XXXVI. Nullam fere eſſe in Animalis corpore partem, quam oſſificatam aliquando Medici non invenerint, eorum obſervationibus innixus auſim aſſerere. Qua in re ſufficiant HALLERI (*b*) & auctorum ab ipſo citatorum hiſtoriae, nec non Celeb. MORGAGNI (*c*) obſervationes, quae membranas, muſculos, tendines, & ligamenta ſaepe in vere oſſeam naturam degeneraſſe oſtendunt; immo penem ipſum oſſeum prorſus factum CHRISTIANUS PAULINUS teſte etiam BARTHOLINO commemorat (*d*). Cur ergo arteriis id abnegabimus, quod aliis partibus etſi ex eadem compoſitis ſubſtantia nemo denegat?

XXXVII. Quamvis non hujus loci ſit, de oſſificationis modo diſſerere; attamen praecipuas Auctorum opiniones circa hanc referre, operae pretium duco. Clariſſ. BOERHAAVIUS (*e*) oſſa per lentam indurationem ſucci gelatinoſi formari jam ſcripſit; Cel. vero DU-HAMELIUS (*f*) oſſa non ex ſucco oſſificante, ſed a perioſtio indurato confici, ex arborum analogia deduxit, & variis in animalibus factis experimentis propriam opinionem comprobare ſtuduit, duoſque nobis reliquit commentarios (*g*), in quibus haec experimenta & aliae obſervationes diverſis ab Auctoribus in ipſis hominibus factae referuntur.

eſſe

(*a*) Inſtit. medic. de oeconom. animal. parag. 415.
(*b*) In comment. ad Boerh. inſt. parag. 415., & ejus nota *b*.
(*c*) In epiſt. XXVII. n. 18., & alibi.
(*d*) Centuria 1. obſerv. 72. (*e*) Praelect. I. R. M. n. 476.
(*f*) Memoir. de l'Acad. des Sciens ann. 1730.
(*g*) Cit. oper. ann. 1741.

XXXVIII. Interea Clariſſ. HALLERUS (*a*) hanc DU HAMELII opinionem ut hypotheticam tantum, & experimentis non ſuffultam cenſet variis potiſſimum ex cauſſis: primum ſcilicet, quia in articulis cavis gelatinoſus ſuccus in tophos concreſcit, ad quos perioſtium nil confert teſtante Clariſſ. BINNIGERO (*b*); ſecundo, quia ipſemet, aliique Inciſores (*c*) cruſtas albas, leves, planas, ovis ſubrotondis Agaricorum ſimiles vertebrarum ſuperficiem tegere invenerunt, & ſucci effuſi ſimillimas eſſe, nihilve a perioſtei natura habere. Tandem ob id potiſſimum, quod in ſpina ventoſa ſuccum cerae ſimilem exſudare, & oſſeſcere ſuis oculis HENRICUS FRANCISCUS LEDRAN (*d*) deprehenderit.

XXXIX. Cum vero Phyſicis in rebus plus valeat unum experimentum, dummodo bene inſtitutum ſit (quod admodum difficile eſſe patet, ſi vel leviter conſideremus, quot ſint experimenta, ex quibus res omnino oppoſitae deducuntur) quam multa verba, multaeque rationes; hinc Sapientiſſ. HALLER pericula cum *rubia tinctorum* facere inciſori ſuo DETLEFINSIO commiſit, ex quibus oſſa ab oſſificante ſucco, non vero ab indurato perioſtio generari, & creſcere ſibi perſuaſit.

XL. Ex dictis, ut unuſquiſque videt, pronum eſt intelligere, auctoritates auctoritatibus, facta factis, experimenta experimentis opponi. Quare lubentiſſime expectabimus, donec phyſicarum, & naturalium rerum Cultores novis, & diligentiſſimis periculis quaeſtionem adeo obſcuram pro rei dignitate enodaverint.

XLI. Quod ad noſtram propoſitionem attinet, (n. XXXIII.) haec procul dubio confirmatur Clariſſ. HALLERI obſervatione XXXXVII. (*e*), *qui remotis omnibus granulis, & ſabulis, aliiſque indurationum ſpeciebus, quae paſſim*

(*a*) Oper. minor. tom. prim. pag. 460. (*b*) L. I. obſ. 51.
(*c*) Acad. Reg. Pariſ. ann. 1699. pag. 50.
(*d*) Obſerv. de Chirurgie pag. 134. (*e*) Opuſ. Patholog.

paſſim ab Auctoribus obſervatae fuere, de unico genere indurationis proferam obſervationes, inquit, *quae fit in arteriis, & quam vulgo notam eſſe, non ignoro, in modo, quo fit, aliquid nondum obſervatum eſſe ſuſpicor*. Tali autem pacto hanc indurationem explicat: *Ego vero, cum ante aliquot annos adeo frequentes oſſeas laminas repererim, tandem in viri arteria aorta calloſas paſſim, & flaveſcentes ſedes obſervavi, quae verſus ipſius vaſis cavitatem convexae eminebant, eas aperui, nam membrana interna integra adhuc claudebatur, reperi ſuccum flavum in celluloſam ſecundam arteriae clam effuſum, quae inter muſculoſas fibras, & intimam tunicam eſt. Mollis ſaccus erat pultaceus, non diſſimilis ejus, qui in atheromate reperitur. In eodem corpore aliae ſimillimae flavae ſedes calloſae, ſiccae, coriaceae repertae ſunt, aliae cartilagineae, aliae denique oſſeae, & ad ferri tactum ſtrepentes. Videbam ergo naturalem quamdam progreſſionem, cujus initium ſuccus effuſus hactenus mollis eſſet, deinde gradus varii duritiei ſuccederent, finis in ea natura poneretur, quam oſſeam vocant, etſi utique neque fila paralella, neque poros habet, & oſſe omni durior eſſe ſolet. Hoc experimentum ſaepe, & repetere licuit in tanta varietate cadaverum, ut omnino, & rem ipſam, & quod inde deduxi, corollarium firmum eſſe videatur*.

XLII. Quocumque igitur modo haec arteriarum oſſificatio abſolvatur, hoc unum nos deducimus, arterias illas, quas aneuryſmaticas, & interne oſſeas VALSALVA, MORGAGNUS, HALLERUS, & alii detexerunt, abſque ulla continui ſolutione, integras nimirum, & tantum dilatatas fuiſſe. Nec hic repetere juvat, quod FREINDIUS (n. XVIII.) circa LITTRII obſervationes dixit. Sanguinis enim coriacea membrana licet valde dura aliquando reperiatur; attamen hanc oſſeam, ſive oſſeae ſimilem naturam, nemo quod ſciam, adeptam fuiſſe vidit.

XLIII. Quare conſtat, Clariſſ. FREINDIUM opinionem ſuam ad demonſtrationem non perduxiſſe, ſed tantum oſtendiſſe, aneuryſmata, cum ad ſummam dilatationem

tionem

tionem pervenerunt, diſrumpi tandem; nec dici poteſt, ea ex ipſa arteriae ruptione originem duxiſſe. Atque haec de Clariſſ. RUISCHII, SEVERINI, MARCHETTI, WISEMANNI obſervationibus ſint ſatis.

XLIV. Ut vero, ad id reſpondeam, quod (n. XIX.) ex ipſo FREINDIO relatum fuit, ſcire vellem, utrum de aneuryſmatibus externis, an vero de internis ipſe verba fecerit; Nam, ſi primum, non tantum utilem diſtinctionem noſtram, verum etiam neceſſariam: Si ſecundum, in theoria veram, in praxi parum, vel nil utilem eſſe autumarem.

XLV. Noſtram itaque de Aneuryſmatibus diviſionem non tantum in praxi utilem eſſe ex eo contendimus, quia ſpuria diverſa plane methodo, quam vera curantur, ut videre eſt apud Chirurgiae ſcriptores: Sed etiam illam in theoria neceſſariam eſſe ſtatuimus, quia inter ſe hae aneuryſmatum ſpecies valde diſcrepant. Enim vero Laud. SYLVATICUS praecipuam, ac primariam aneuryſmatis veri notam in eo repoſuit, quod digitis compreſſum omne, vel ſaltem majori ex parte retroeat, & demum aboleatur, neque id arteriae tantum dilatatae, licet haec tumorem faciat, unquam convenit. *Cedet quidem aliquantiſper*, inquit, (a) *veluti & tumor quilibet mollis, & flatuoſus, ſed non adeo retrocedet, ut evaneſcat.*

XLVI. De internis pariter veram hanc eſſe in theoria diviſionem, ex hucuſque dictis arbitramur, quae in Praxi parum, vel nil emolumenti affert, quoniam haec internoſcere difficillimum eſt, ne dicam impoſſibile; & denique, quia iiſdem remediis tam vera, quam Spuria curantur.

XLVII. Ultimo tandem animadvertere juvat, non tam parvi faciendam eſſe contra FREINDII mentem difficultatem, ſi vera HIPPOCRATIS ſententia habeatur, ex ejus aphoryſmo petitam, cui ſatisfeciſſe, ut legere eſt n. XXII., &

(a) Cit. jam diſſert.

& xxiii. ipſe opinatur. Nam non quicumque motus ſanguinis putrefactionem impedit, ſed validus, & non toti extravaſati ſanguinis maſſae, verum etiam partibus ipſum grumum componentibus communis ſit, opportet. An hic motus a Sanguine ad multos annos ſtagnante putrefactioni arcendae par erit?

XLVIII. SYLVATICUS ipſe, qui ut (n. xxiii.) vidimus, etſi eadem proferat argumenta, quibus uſus eſt FREINDIUS; attamen non omnem difficultatem hac in quaeſtione ſublatam fuiſſe idem agnovit. Nam ad externorum aneuryſmatum putrefactionem retardandam, poſtquam aliqua topica remedia parti affectae applicita ſunt, tumorem ſaepe ſaepius comprimendum eſſe docet, ut expreſſus Sanguis cum praeterfluente miſceatur. Cautiſſime hoc Clariſſ. Viri praecepto utendum reputaverim, ne aut grumi ſanguinei in arteriae reliquum truncum repulſi iter ſanguinis obſtruant, aut aneuryſmatis tunicae tenues nimis factae compreſſione rumpantur, vitamque extinguant. At poſtquam admonuiſſet, non in omnibus intra idem tempus ſanguinem putridum fieri, verum hoc pendere a majori, vel minori ſanguinis ipſius ad putreſcendum natura, temperamento &c. concludit (*a*): *Utcumque tamen ſit, annuum terminum in magno aneuryſmate excedi poſſe nullo poſſumus argumento perſuaderi*. Si ergo hic Celeber. Vir tam breve ſpatium externis aneuryſmatibus aſſignavit, in quibus infinita antiſeptica adhibentur remedia & motus accelerari poteſt: quid dicendum de internis, ubi haec locum minime habent? An aeris atmoſphaerici abſentia putrefactionem prohibet?

IL. Sed miſſis variis Auctorum, qui ante noſtram aetatem floruere, de aneuryſmatis natura diſtinctionibus ordo exigit, ut juxta recentiores, excellentioreſque Medicae doctrinae Magiſtros in tria genera ea dividamus, quorum primum eſt illud, quod proficiſcitur a ſola arte-

---

(*a*) Eadem differt.

arteriae dilatatione, alterum, quod ejus ruptura efficit a quacunque cauſſa dependens, ſimulque ſanguinem effundens: tertium, quod utramque ſimul habet cauſſam. Primum igitur *Verum*, ſecundum *Spurium*, ultimum *Compoſitum* (*a*) cum Huntero (*b*) dicimus. Nec rejiciendum eſt aliud genus, quod varicoſum ex eo vocant, quia fit, quando arteria, & vena ita contiguae ſunt, ut ſi ſimul perforentur, ſanguis ex illa in hanc irruat, & tumorem micantem pariat. Quod ſi ſanguis latius effunditur per cellularem telam, aneuryſma *Diffuſum* erit, contra *Circumſcriptum*, ſi in anguſto loco a membrana Aponeurotica contineatur. Doctiſſ. FUBERTIUS (*c*) ſubdividit aneuryſma ſpurium in *primitivum*, & *conſecutivum*, quorum alterum mox poſt arteriae laeſionem oritur; alterum vero poſt aliquot dierum ſpatium ab ejuſdem laeſione conſequitur.

L. Clariſſ. LIEUTAUDII auctoritate nos non movemur (*d*), qui aneuryſmatum diſtinctionem in vera, & ſpuria tunc ſolum admittit, cum haec exteriores corporis partes occuparent. Quodlibet enim aneuryſmatum genus (n. IL.) ubique oriri poſſe videtur: Aneuryſma autem Verum frequentius interioribus, Spurium exterioribus in partibus, ac praecipue in artubus cum PLATNERO (*e*) ſuſtinemus.

LI. Omiſſis igitur aliorum Auctorum aneuryſmatis definitionibus, hoc eſſe dicimus, vel arteriam praeter naturam alicubi in tumorem dilatatam, vel tumorem in circumpoſitis partibus ab eadem rupta, aut inciſa, &

D ſan-

(*a*) Tertium aneuryſmatis genus ab Huntero conſtitutum rejiciunt nonnulli tanquam fictitium. Videatur diar. de litterar. Europ. ann. 1758. tom. 4. pag. 114.

(*b*) william HUNTER Medical obſervations and inquiries by a ſociety of Phyſicians in London vol. 1. pag. 325.

(*c*) Memoires de l'Acad. Royal. de Chirurg. tom. 2. pag. 535.

(*d*) Synop. medic. (*e*) Inſtit. Chirurg. §. 442.

ſanguinem effundente ortum, vel utriuſque mali complicationem.

LII. Venis etiam hujuſmodi vitium commune eſſe, nemo eſt, qui ignoret: Hae enim vel propriam, ac naturalem capacitatem amittunt, amplioremque acquirunt, vel quomodocumque ruptae, vel diſciſſae in proxima telae cellularis ſpatia aliquid ſanguinis emittunt. Illud nomine *varicis*, hoc *ecchymoſeos*, ſive *ſugillationis* inſignimus illos non curando, qui uno aneuryſmatis vocabulo, ut Veteres (n. v.) utraque & venarum, & arteriarum mala complexi ſunt.

LIII. Haec praemittere, antequam ſermo ad peculiarem de praecordiorum aneuryſmatibus diſquiſitionem convertatur, neceſſarium judicavimus; Ex his enim varia intelliguntur, quibus praetermiſſis nimis obſcura fuiſſent.



CAPUT II.

De praecordiorum aneuryſmaticis, & varicoſis vitiis, & de praecipuis eorum differentiis.

LIV. SUb *praecordiorum* nomine illud ſpatium intelligimus, in quo univerſa fere aorta crebre aneuryſmatica fit, & vena cava varicibus corripitur, quos limites CORNELIUS CELSUS, & MATANUS jam poſuere (*a*).

LV. HIPPOCRATI incognita fuiſſe praecordiorum vitia non omnes conſentiunt, quia variis in locis mentionem facit de tumoribus in vaſis cordi adhaerentibus, & in arteriis ſedem habentibus (*b*). GALENO quidem, AETIO, PAULO AEGINETAE, ACTUARIO, aliiſque Graecis, & Arabicis ſcriptoribus innotuiſſe aſſerunt nonnulli: Clariſſ. vero MATANUS (*c*) GALENUM primum aneuryſmata perſpexiſſe, nullumque *ex his, qui ante illum ſuperſunt, ſcriptoribus de tali morbo aperte locutum fuiſſe* contendit, *cum ille primus prae caeteris videatur, qui hoſce affectus aliqua ornatos obſervatione complectitur*.

LVI. Nos vero HIPPOCRATI, GALENO, AETIO, ORIBASIO, PAULO AEGINETAE, ACTUARIO aneuryſmata cordis, & aortae incognita fuiſſe cum LANCISIO (*d*), & MORGAGNO (*e*) credimus ex eo, quod, ut optime animadvertit MORGAGNUS; *illis temporibus*

(*a*) Vid. Matan §. 3. lib. ſeq. n. cit.
(*b*) Vid. Georg. Seger diſſert. de Hipp. Lib.
(*c*) De praecord. aneuryſmat. morb.
(*d*) De aneuryſm. L. 1. prop. 2.
(*e*) Epiſt. anat. medic. XVII. art. 1.

Beſtiae pro humanis corporibus inciderentur, *quae raro morbis hujuſcemodi corripiuntur*.

LVII. Et Eruditiſſ. MATANI propoſitionem diſtinguimus concedendo nullum ante GALENUM de Aneuryſmatibus externis verba habuiſſe, verum interna GALENUM ipſum ignoraſſe affirmandum eſt. Nullus enim locus in omnibus ejus operibus extat, in quo de hujuſcemodi morbis egerit, ſi excipias, ubi loquitur de externis, uti jam (n. III., & IV.) commemoratum fuit.

LVIII. Nec ipſe SYLVATICUS in toties citata de Aneuryſmate tractatione interna omiſiſſet, ſi haec vel ipſi nota, vel ab aliis jam deſcripta fuiſſent; neque RIOLANUS (*a*) *raro aneuryſma in aortae trunco propter craſſitiem tunicarum* accidere ſcripſiſſet: tandem JOACHIMUS GEORGIUS ELSNNERUS, cui Romae videre contigit in Muſaeo nobilis GUILIELMI RIVAE aortae aneuryſma (*b*) in cadavere Laurae Peronae anno 1664. detectum, huic obſervationi anno 1670. titulum non praefixiſſet *de Paradoxico aneuryſmate aortico*.

LIX. Cor autem modo totum, modo in una tantum parte dilatari, aliiſque vitiis ſubjici certi ſumus, poſtquam anatome majori cum diligentia illuſtrari caepit. NICOLAUS enim (*c*) MASSA primus, ut puto, in quodam viro anno 1534. diſſecto invenit *cor magnum*, & tantae *magnitudinis, quantam nunquam in alio homine viderat*. Clariſſ. VESALIUS (*d*) Cor *doctiſſimi viri* vidit, *in cujus ſiniſtro ventriculo glanduloſae, ſed ſubnigricantis interim carnis libras propemodum duas reperit*. CAROLUS STEPHANUS (*e*) in quodam cadavere conſpexit...... *cordis auriculam dextram, quae in amplam magnitudinem uſque adeo excreverat*, ut tripulo major altera videretur.

BAL-

(*a*) Encheir. anat. L. 5. c. 46.
(*b*) Figuram vide in miſcell. medic. ann. 1670. obſerv. 18.
(*c*) In lib. introduc. anatom. c. 28.
(*d*) De corp. human. Fabr. Lib. 1. cap. 5.
(*e*) De diff. part. corp. human. L. 2. cap. 33.

BALLONIUS (*a*) mentionem facit de corde *majuſculi capitis magnitudinem* adaequante. Et tandem, ut infinitos alios omittam contemporaneos, ANDREAS LAURENTIUS (*b*) cor Equitis GUICIARDINI invenit *prodigii inſtar in eam molem excreviſſe, ut Thoracem fere totum* impleret. Qui alias hujuſmodi hiſtorias cupit, conſulat BONNETUM (*c*), SCHENCHIUM (*d*), LANCISIUM (*e*), SENACIUM (*f*), KNIP-MACOPPE (*g*), PASTAM (*h*), VALCARENGHIUM (*i*), MORGAGNUM (*l*), SWIETENIUM (*m*), MATANUM (*n*), HAENNIUM (*o*), LIEUTAUDIUM (*p*); & ibi non ſolum cordis, verum etiam aortae, venae cavae, aliorumque vaſorum dilatationum exempla inveniet.

LX. Ex his colligitur jure, ac merito Celeber. MALPIGHIUM (*q*) ſcripſiſſe: ...... *certum eſſe, manifeſtas fuiſſe multas cauſſas morboſas in corde, & in praecordiis ejus uſum perturbantes, ut ſunt polypi, dilatatio arteriae aortae, ex quibus oriuntur palpitationes cordis, Syncopes, & aliquando Syncope cardiaca: Hujuſcemodi cognitiones ſunt hujus ſeculi* (ſcilicet XVII.) Caeterum, iſtorum morborum cognitionem ante ſeculi XVI. initium ignoratam, atque poſtea eorum doctrinam ad noſtram uſque aetatem magis magiſque adauctam fuiſſe, concludendum eſt.

LXI.

(*a*) Epid. l. 2. in conſtit. autumn. ann. 1573.
(*b*) Hiſt. anat. human. corp. L. 9. quaeſt. 18.
(*c*) Sepulcr. anatom.
(*d*) Paratyriſeon, ſive obſerv. medic. rar. nover. admirab. & monſtr. (*e*) De mot. cord. & aneuryſmat.
(*f*) Delle malat. del Cuor. trad. dal franc.
(*g*) De Aortae polypo. (*h*) De cord. polyp. in dub. revoc.
(*i*) De Aortae aneuryſm. obſerv. 3.
(*l*) De ſed. & cauſſ. morb. per anat. indaſ.
(*m*) In comment. ad Boerh. aphor. de conoſc., & curand. morb.
(*n*) De aneuryſm. praecord. vit. (*o*) Rat. med.
(*p*) Hiſtor. anat. med.
(*q*) Marcell. Malpig. op. tom. 2. edit. Amſt. pag. 334. reſpon. ad epiſt. cui tit. eſt. *De recent. medic. ſtud.* a Joann. *Hieron.* Sbaralea an. 1687. Gotting. ſcrip.

LXI. Haec praecordiorum aneuryſmata Clariſſ. LANCISIUS (*a*) diſtinxit in *vera*, ſive *legitima*, & in *notha*, ſive *ſpuria*. Prima juxta hunc Auctorem ſunt, *quae fiunt a cauſſis proxime debilitantibus arteriarum, vel cordis texturas, & reſiſtentias*. Spuria autem, *quae ab initio non pendent a debilitata reſiſtentia villorum, ac fibrarum cor, & arterias texentium: ſed potius ab adaucta vi impetus vel recti, vel reflexi ſanguinis ſupra naturalem, & ordinariam arteriarum, & cordis reſiſtentiam impellentis*. Cujus vim naturalis, & communis arteriarum firmitas ferre non valet abſque tunicarum relaxatione, vel diſruptione. Hoc in caſu relaxationem, aut diſruptionem tunicarum tanquam effectum proficiſci, minime vero aneuryſmati primam cauſſam praebere, & ſic in vera facile degenerare nemo non videt.

LXII. Hac LANCISII diviſione admiſſa, & nominibus tantum veluti minus idoneis rejectis, nos, quae ipſe vera, *paſſiva*, quae *ſpuria* dixit, *activa* cum Clariſſ. SAUVAGESIO nominamus (*b*); ſic enim tollitur confuſio, quae ex jam facta (n. xlix.) generali diviſione exoriri poſſet. At cum Clariſſ. MORGAGNO (*c*) arteriarum praecordiorum dilatationes, quaecumque fuerit eorum origo, in duo potiſſimum genera diſtingui debent, in ea ſcilicet, quae *vas aeque in omnem partem expanſum formant*, & in ea, *quae ſacci inſtar e vaſis latere excreſcunt*. Prima *non ſaccata*, vel *non ſacciformia* aneuryſmata, ſecunda *ſaccata*, ſive *ſacciformia* dicimus.

LXIII. Cum vero vix ullum ſit interiorum partium aneuryſma, a quo alterutra hujuſmodi dilatatio abeſſe poſſit; idcirco haec diviſio a Doctiſſ. Viris SCHREIBERO (*d*), VALCARENGHO (*e*), quam maxime approbata fuit, & ex variis aneuryſmatum ſacciformium poſitionibus facile

---

(*a*) Lib. 1. de aneuryſ. in gen. prop. 5.
(*b*) Noſol. meth. tom. 1. claſ. 1. ord. 5.
(*c*) Adverſ. 2. animadverſ. 38.
(*d*) Act. Erud. lipſ. ann. 1731. menſ. auguſt. pag. 377. 378.
(*e*) De Aort. aneuryſ. obſer. 1.

facile LITTRIUS (*a*), & BOERHAAVIUS (*b*) rationem deduxerunt, cur a mutato corporis ſitu, nunc animi deliquia, nunc vero ſuffocationes conſequantur.

LXIV. Si igitur ſupponas, ſanguinem in ſacci fundum ob peculiarem corporis poſitionem decliviorem factum irruere, & hunc implere; tunc ſanguinis praeterlabentis copia imminui debebit ita, ut in proximis vaſis ſanguinis circulatio interrumpatur: quin immo a ſola adjacentium vaſorum compreſſione, quam ipſemet ſaccus diverſae poſitionis ergo interdum efficit, ea praepediri poteſt: quod ubi accidit, animi defectionem ſequi veritati apprime conſonum eſt. Si vero hic ſaccus ita collocatur, ut aſpera arteria, vel Bronchia comprimantur, Homo tunc ſuffocari debebit.

LXV. Cor diverſis modis dilatari (n. Lix.) dictum fuit: has autem dilatationes cum BALLONIO, LANCISIO, SENACIO, MORGAGNO, HAENNIO (*c*) eadem aneuryſmatis ſignificatione comprehendimus eas pariter in ſacciformes, & non ſacciformes diſtinguendo; & ultimo ut iſtiuſmodi morborum diagnoſis minus difficilis ſit, dilatationes totius cordis, vel auriculae ſiniſtrae, vel ventriculi ejuſdem lateris, vel Aortae, vel ſubclaviarum &c. ad vitia *aneuryſmatici generis*; diſtenſiones vero ſinus venae cavae, vel auriculae, & ventriculi dextri, vel arteriae, & venae pulmonalis ad illa *generis varicoſi* Doctiſſ. ALBERTINO duce (*d*) revocari poſſunt.

CA-

(*a*) Mem. de l'Acad. Roy. des ſciences ann. 1707.
(*b*) Praelect. Acad. in propr. inſtit. rei medic. tom. 5. §. 826.
(*c*) In libris n. lix. citatis.
(*d*) Act. acad. Bonon. tom. 1. in opuſ. pag. 382.

CAPUT III.

De cauſſis proegumenis, ſive praediſponentibus.

LXVI. HAec de praecordiorum aneuryſmaticis vitiis, nunc de cauſſis, quae diros hoſce morbos inferunt, utpote quae ſcitu neceſſariae omnino ſunt, & non exiguam lucem eorum diagnoſi, & Therapeuticae affundunt.

LXVII. Harum igitur diviſio, claritatis gratia, erit primum in *proëgumenas*, ſive praediſponentes, & in *procatarticas*, ſive occaſionales, deinde in *generales*, & *peculiares*, in illas ſcilicet, quae cuivis praecordiorum dilatationi, & in eas, quae peculiari tantum cuidam cardiaco aneuryſmati propriae ſunt.

LXVIII. Ad proëgumenarum claſſem in primis ſpectat *haereditaria labes*, quod fortaſſe alicui minus verum videbitur. Quamvis enim nobis perſpectus non ſit modus, quo peculiares Parentum infirmitates in filios traducantur; attamen iſtius rei veritatem quotidiana experientia evincit, ipſumque Hippocratem hanc cognoviſſe patet ex loco: (a) ubi inquit: *& quia Animal ſecundum Parentes naſcitur, tot humorum ſpecies, & ſanorum, & morboſorum in ſe habet, tum etiam ex ſolidorum culpa, ut ex lienoſo lienoſus, ex tabido tabidus naſcitur.* Quomodocunque hoc eveniat, morbum hunc haereditarium eſſe, medicae hiſtoriae, obſervationeſque teſtantur.

LXIX. Rem ita ſe habere ex ipſa analogia eruitur: Nil enim communius eſt, quam filium reperire a podagroſo Patre genitum podagra laborantem, quod idem de phti-

---

(a) De Morb. ſacr. n. 5.

phtiſicis , ſcorbuticis, tabidis , calculoſis, epilepticis affirmandum eſt. Cur ergo haereditaria quoque aneuryſmatica diatheſis in filios non transfundetur? Cum vero ea omnium validiſſima ſit ratio , quae ex ipſa conſtanti obſervatione deducitur , idcirco & nos ad peculiaria obſervata confugimus. Equidem Clariſſ. LANCISIUS (*a*) in nobiliſſima familia morbum hunc , dilatationem ideſt dexterae auriculae cordis, per quatuor generationes Proavum ſcilicet, Avum, Patrem, & Filium propagatum vidit, quorum ultimus , cum ante quartum aetatis annum ad plures migraſſet , facta ejus cadaveris ſectio , haereditariam hanc labem Clariſſ. obſervatori exhibuit, cordis niqurum dextram auriculam ſolito debiliorem, ampliorem-mie. HYPPOLITUS quoque ALBERTINUS (*b*) duabus in nobiliſſimis familiis cordis, & praecordiorum aneuryſmatica vitia a Proavo, & Avo, & Parente in Filios pernicioſa haereditate deſcendiſſe obſervavit.

LXX. Laxa totius corporis conſtitutio inter cauſſas paſſivorum (lxii.) aneuryſmatum praediſponentes jure, ac merito refertur, atque hoc facile intelligi poteſt, ſi perpendas , ob fibras in corpore nimis relaxatas , ejus etiam partes debiliores eſſe , ac proinde arterias eodem vitio laborare intelliges , quo circa facilius hae dilatari, & dividi poterunt a quacumque vel levi cauſſa praeter naturam accedente. Nec ad hoc demonſtrandum neceſſe eſt, ad mathematicas demonſtrationes ſe recipere, & eos ſequi , qui dum in hiſce, alioquin utiliſſimis, tempus terunt, magis neceſſaria , iſtorum videlicet diagnoſim, & curam aut omittunt, aut tam leviter indicant, ut ſi non obſcuriorem, clariorem certe non reddant. Ex allata autem cauſſa praecipue vera oriuntur aneuryſmata (il.). Nam ſi ſenſim adaugetur ſanguinis impetus in arterias, hae paulatim dilatari incipiunt. Nec deſunt hiſtoriae apud

(*a*) De aneuryſm. in gen. prop. 47.
(*b*) In libr. n. 65. cit.

Auctores, quae hanc opinionem confirment.

LXXI. Silentio praeteribo, quamcumque ſanguinis dyſcraſiam aneuryſmatis cauſſam praediſponentem eſſe, quam triplici modo agere putat Clariſſ. LANCISIUS, (a) vel enim ad cor deponitur, illudque irritat ita, ut fortius micare, & ſe ſe contrahere debeat, tunc ex crebris, validiſque palpitationibus, vel magis, magiſque nativa cordis compages laxatur, ac in aneuryſma dilatatur, vel ſanguinis ingenti vi in proximas arterias projectus debiliores earum tunicas ita urget, ut pedetentim diſtractae, aut alicubi laceratae in aneuryſmaticas commutentur: vel ipſorum vaſorum, dum ſanguis per ea transfluit, interiorem membranam corrodit, & ſenſim exedit, unde aneuryſmata juxta SENNERTI, & HILDANI opinionem (n. xv.) exoriuntur. Quod illis mirum eſſe haud debebit, quibus notum eſt ab hujuſmodi cauſticis humoribus ipſos duriſſimos dentes cariem contrahere, ut quotidiana experientia in ſcorbuticis potiſſimum nos docet. Ultimus tandem agendi modus innoteſcet, ſi animadvertas a continuo, & perenni cordis, arteriarumque motu ſemper aliquid elementorum eas partes conſtituentium abradi, quae cum ab influente ſanguine, acrimonia quacumque vitiato reparari conſtanter nequaquam poſſint, evidentiſſimum eſt, arterioſorum vaſorum, & cordis ſubſtantiam ob defectum nutritionis ſenſim debilitari, ac flacceſcere. Nec ſcire inutile erit, utrum ſanguinis prava indoles ab uno potius, quam ab alio pendeat principio; diverſis enim prout diverſa eſt cauſſa, tolluntur remediis.

LXXII Quo magis nervoſum ſyſtema ſenſibile eſt, eo promptius, & a levi quacumque cauſſa facilius, validiuſque cor ſe ſe contrahere, omnes concedunt Phyſiologi, quod praeſtat etiam nimia fibrarum muſcularium irritabilitas; per has vero crebras, validioreſque contractiones cordis vis infringitur, ejuſque caveae praeter naturam

(a) Lanciſ. lib. cit. propoſ. XXIX

turam diſtenduntur , hinc aneuryſmaticae fiant , oportet. Quod citius eveniet, ſi alia cauſſa ad hujuſcemodi affectiones idonea accedat.

LXXIII. Certum quoque, perſpectumque ex LANCISII obſervationibus habemus, ſutores, & ſedentarios artifices, ſi ſimul prava ſanguinis indole laborent, raro abſque praecordiorum vitiis ſeneſcere: quod etiam ſaepe ſaepius in viris plus juſto ſtudio deditis obſervarunt; in his enim non deſiderantur digeſtionis vitia, Lienis, Hepatis, aliorumque viſcerum obſtructiones, quae omnia vel ſanguini circumeunti obſtaculum opponendo, vel dyſcraſiam inducendo aneuryſmata inferunt; adde, quod in profundis meditationibus, velint, nolint, ſpiritum diu retineant, quapropter ſanguis in arteriam pulmonalem propulſus, per pulmones ipſos diu nimis dilatatos progredi nequit; ergo in dextro cordis ventriculo, atque auricula ſanguineus humor quadam ex neceſſitate colligetur, harumque partium aneuryſmatica diſtentio fiet.

LXXIV. Ex hucuſque allatis generatim concludere licet, facilius pueros, quam adultos, faeminas, quam mares, debiles quam robuſtos, cachecticos, quam optimo corporis habitu praeditos, hyſtericas, & Hypochondriacos, nec non moniales aneuryſmaticis vitiis affici.

CAPUT IV.

De cauſſis procatarticis.

LXXV. Nimis longum, nec non taedioſum eſſet, omnes, & ſingulas haſce cauſſas enumerare: quare praecipuas tantum, certioreſque indicabimus, earumque agendi modum clarius, & brevius, quoad fieri poteſt, exponemus.

LXXVI. Inter has primum recenſenda venit contuſio a quocumque corpore reſiſtente producta. Quomodo externus ictus, vel interna contuſio aneuryſmata progignat, ratio ipſa nos docet, & medicae hiſtoriae teſtantur: animadvertendum tamen eſt, juxta Clariſſ. LANCISIUM praeter contuſionem tria alia, quae ſimul concurrant, ad aneuryſmata efficienda requiri. Scilicet primo eodem temporis momento ipſa arteria, ab externo corpore percutienda eſt, quo fit ejus diaſtole: ex his enim duobus oppoſitis ictibus ea magis afficitur, & laeditur. Secundo naturalis, vel innata arteriarum debilitas neceſſaria eſt, quae externis, interniſque impulſibus facilius cedat. Succorum demum prava qualitas accedere debet; quoniam vitiati humores contuſa arteriarum loca erodunt, exeduntque.

LXXXII. Interea non ſemper, ut aneuryſma contuſionem ſequatur, tria illa requiſita neceſſaria ſunt, ſed ſolum externum ictum, vel internam contuſionem, dummodo haec ſatis valide ſint, ad vaſorum externam cellularem deſtruendam, ſufficere aſſerimus (*a*). Tunc enim vaſa ita de-

(*a*) Ex Clariſſ. HALLER. & SPALLANZANI experimentis hoc ſatis conſtare arbitramur. Iſti enim Clariſſ. viri in Animalium frigidi ſanguinis meſenterii vaſa deſtructa cellulari externa, mox aneuryſmatica evaſiſſe obſervarunt.

debilitata dilatari, vel dividi etiam poterunt, ut mox patebit.

LXXVIII. Exemplum aneuryſmatis aortae a contuſione oriundum refert LANCISIUS (*a*), quod obſervavit in EMINENTISS. CARDINAL. ALBANI famulorum decano, qui, dum per publicam viam incederet, a ſphaera buxia vehementer in ſiniſtra dorſi parte percuſſus fuit. In *Tranſact. Philoſophicis* (*b*) alicujus hominis hiſtoria non deeſt, qui caſu violentam pectoris concuſſionem paſſus in haemophtyſim incidit, qua diutius perſeverante tandem occubuit, & in ejus cadavere tam magnum aortae aneuryſma repertum fuit, ut totum dexterum thoracis latus impleverit. Aneuryſma pariter a contuſione natum vidit SWIETENIUS (*c*). Clariſſ VALCARENGHUS (*d*) in cadavere D. SEBASTIANI SEITZ aortae aneuryſma invenit, *cujus moles tam magna erat, ut ejuſdem cavitas utraſque ſuas manus commode contineret*, cui aneuryſmati occaſionem praebuit ictus Illuſtr. viro inflictus, *dum hic fugientes milites citiſſime inſequebatur curſu...... in ſuppoſitam cecidit foveam, oppoſitamque in ripam ſterno dextrorſum vehementer impegit*. Similes quoque hiſtoriae extant apud HAENNIUM (*e*), alioſque.

LXXIX. Intempeſtivam, vel repetitam mercurialis litus adminiſtrationem, interna aneuryſmata efficere teſtantur PARAEUS (*f*), LANCISIUS (*g*), & MATANUS (*h*), apud quos non nulla invenies hujuſcemodi morborum exempla. Haud difficile eſt, intellectu, quomodo Hydrargyrus vi ſua ſanguinem, & lympham attenuante, & proprio pondere vaſa omnia tum corrodere, tum praeter modum diſtendere, ac dilatare poſſit, ut jam ſcripſerat

(*a*) Citat. lib. prop. 21. (*b*) (N. 265.)
(*c*) Coment. in Boerh. aphor. 176. (*d*) Obſer. 2.
(*e*) Rat. med. p. 4. cap. 2.
(*f*) Vid. Bonet. Sepul. Anat. lib. 2. ſect. 2. obſer. 14.
(*g*) Prop. xxxiv.
(*h*) Citat. lib. §. liii.

rat MICHELLOTUS, (*a*) hocque citius praeſtare, ſi cum acidis in corpore praeter naturam ſtagnantibus copuletur; hoc enim in caſu diſſolvens magis, corrodenſque evadit. An ergo mercurialium uſus abolendus eſt in curanda lue venerea, ubi aneuryſmatis ſuſpicio adeſt? An amplectendus, ſi aneuryſma a ſyphilitide pendet? Quaeſtionem hanc alibi dirimendam transferimus.

LXXX. Velociſſimi, & inconcinni corporis motus, ſi potiſſimum conjungantur cum aliqua praediſponenti cauſſa, aneuryſmata, & praecipue ſpuria inducunt; hinc explicantur tot veterum medicorum hiſtoriae, quae referunt, homines poſt violentiſſimas corporis exercitationes ſubito, vel paulo poſt fato defunctos fuiſſe, ex ruptione ſcilicet praexiſtentis aneuryſmatis veri, vel ex ſubita ſpurii generatione. Quod ſi in eorum cadavera inquiſiviſſent, non ex capitis, ut conſtanter illi opinabantur, ſed ex praecordiorum vitio, vitam perſaepe ademptam fuiſſe certe illis conſtitiſſet.

LXXXI. Hinc Gladiatores, pilae, & ſimilium Luſores, Concionatores, Tubicines, hemerodomos, & illos denique, qui per acclivia loca velociter aſcendunt, praecipue vero ſi aliquo pondere onuſti ſint, facilius aneuryſmatibus, praeſertim internis laborare, obſervatum fuit. Clariſſ. HAENNIUS (*b*) *in arteria poplitea horrendum aneuryſma* vidit, *a ſaltu probabiliter natum*. Cujuſdam hominis aneuryſmatici hiſtoriam refert PARAEUS, qui pila ludens ſubito mortuus eſt; MATANUS (*a*) in cujuſdam concionatoris cadavere ex Capucinorum familia cor plus duplo majus invenit. Aortae aneuryſma ex *violento curſu* ortum narrat VALCARENGHUS (*d*): aortam admodum dilatatam, & arteriam ſubclaviam dextram aneuryſmaticam

---

(*a*) In Act. Acad. Bonni.
(*b*) Rat. med. pars 4. cap. 2.
(*c*) In ſua diſſert. p. 19.
(*d*) Obſer. 1., & 3.

cam fuiſſe ob ſubitum capitis in dexteram partem flexum videbis apud Academicos Pariſinos (*a*).

LXXXII. Quare quocunque modo ſpiritus, ſeu reſpiratio impedita, vel adaucta ſit; ſanguis per pulmonalia vaſa libere permeare non poterit; hinc cor ejuſque vaſa majora praeter naturam tunc diſtendi debebunt.

LXXXIII. Ingluvies, & liquorum ſpirituoſorum abuſus non tantum praediſponentem aneuryſmatis cauſſam ſuſcitare valent; verum etiam abſque hujus concurſu arteriarum dilatationes efficere, certiſſimum eſt; idque LANCISIUS (*b*) aſſerere non dubitavit, *ex centum aneuryſmatibus ſponte, ſeu abſque ullo externae cauſſae concurſu obvenientibus, plus media parte in guloſis, & bibacibus vidiſſe, reliqua vero in hypochondriacis, hyſtericis, & ſyphilide obſeſſis*, ibique aliorum Auctorum exempla indicat, ſimulque hujuſce phaenomeni rationem exponit. Nos autem ad hoc magis confirmandum binas tantum obſervationes adjicimus, quarum prima eſt Clariſſ. HEURNII (*c*) referentis, hominem quemdam valde conſumptum, & vino plus juſto deditum, mortuum denique, cordis ventriculos tam dilatatos habuiſſe, ut cor bubulum aequaret. Altera vero ex ipſo MATANO deſumpta eſt (*d*), qui in homine ex ipſis incunabilis ingluviei amantiſſimo immanem cordis amplitudinem deprehendit.

LXXXIV. Animi pathemata, ſubitaſque ejus commotiones cauſſas efficaciſſimas eſſe praecordiorum aneuryſmatum, eorum actionem, vim, & imperium in cor perpendenti notum fiet, atque perſpectum; ex quo principio Celeb. ALBERTINUS (*e*) cauſſam deduxit, ob quam non infrequenter in homines, perraro vero in beſtiis vitia haec occurrant. Neque deſiderantur hiſtoriae, in quibus legere

(*a*) Acad. Roy. des ſcien. ann. 1700. hiſtor. pag. 50.
(*b*) De aneuryſ. in gen. prop. xli.
(*c*) Vid. Bonet Sepul. Ant. (*d*) Cit. oper.
(*e*) Act. Bonon. tom. I. in opuſc.

legere eſt, iram aliquando, ut ait SENACIUS, cordis ventriculos diſrupiſſe, atque ideo nemo mirabitur, ſi aliquando hos tantum dilataverit: non diſſimiles effectus a ſubito terrore permanant; triſtitia quoque ad haſce dilatationes progignendas quammaxime confert, at diverſa plane ratione. In hoc enim animi affectu pulſus aboletur, vel ſaltem imminuitur, dum in ira, & terrore acceleratur, immo cor ipſum valde palpitare ſolet. Quare appoſite inquit idem ALBERTINUS: *ut vitia varicoſi generis inter ſimplices, diuturnas, & graves animi aegritudines lente ſuborta vidi, ſic plura aneuryſmata poſt ſubitos mixtorum, & vehementium animi pathematum impetus ex tempore quaſi nata detexi*. Iſtius autem phaenomeni expoſitionem ipſe retulit (*a*), nec non SENACIUS (*b*), ubi diverſos triſtitiae, & irae agendi modos non ineleganter exprimit.

LXXXV. Quae priori numero dicta ſunt, experientia comprobantur. Equidem BLANCARDUS de aliquo homine refert, magnum ob naufragii timorem valida cordis palpitatione, ſpirandique difficultate correpto, in cujus cadavere, Eruditiſſ. Vir tum cordis ventriculos a ſanguine tam valde dilatatos, tum aortam ab eodem ſanguine obſtructam invenit. Similia memoriae prodita ſunt a ZACCARIA FIURST, nec non ab Academicis Pariſinis, ut refert Clariſſ. SENACIUS.

LXXXVI. Tuſſis valida, diuque protracta ſanguinis motum modo auget, & modo illius deſcenſum a ſuperioribus partibus ex eo impedit, quod ſanguis libero motu per pulmones non fluat, hinc fit, ut aneuryſmata innaſcantur, quemadmodum contigit in Concionatoribus. Aneuryſmatis in parte inferiori, & anteriori colli poſt violentam tuſſim orti hiſtoriam habemus in actis Academiae Pariſinae. (*c*). Unum quoque cordis, & arteriae aortae aneu-

(*a*) Eod. lib. pag. 388.
(*b*) Lib. 4. cap. 9. capit. 9.
(*c*) Ann. 1733. Memoires pag. 153.

aneuryſmatis a tuſſi excitati exemplum extat apud MORGAGNUM (*a*).

LXXXVII. Vomitus, ſi violentus, & diuturnus eadem mala gignit ob impeditum a diaphragmatis, & ventriculi contractione per Aortam deſcendentem ſanguinis circuitum. Poſt validum quinque dierum vomitum aneuryſma in cujuſdam hominis collo natum, & ab Aortae curvatura incipiens, cujus deſcriptionem Clariſſ. LITTRIUS nobis reliquit, videbis in hiſtoria ACAD. PARIS. (*b*). Quare facile intelligitur, aneuryſmata quoque inferri a magnis conatibus, & ſpiritus interceptione in pariendo, vel in difficiliori alvo deponenda factis (*c*).

LXXXVIII. Pleuritides, peripneumonias, ſimileſque pulmonum affectiones, dummodo longiores ſint, & naturalis cordis, vaſorumque debilitas accedat, cordis dexterae auriculae, ejuſque ventriculi dilatationes induci SENACIUS, aliique opinantur.

LXXXIX. Nec deſiderantur hiſtoriae ad hanc opinionem comprobandam. Nam FANTONUS (*d*) in quodam Adoleſcente ex peripneumonia defuncto, dexterum cordis ventriculum reperit naturali longe majorem, & in cadavere cujuſdam viri, qui pariter pulmonum inflammatione laboraverat, Cor enormiter dilatatum detexit, in cujus ſuperficie variae albicantes maculae obſervabantur, ipſiuſque ſubſtantia dura, ſcirrhoſa, coronaliaque vaſa valde turgida erant. MATANUS denique quodam in homine, qui pleuritide correptus abſque ullo cordis aneuryſmatis indicio occubuit, cor duplo majus ſe vidiſſe teſtatur (*e*).

XC. Non diſſimili plane modo Hydrothoracem, & Aſthma cordis augmentum, dilatationemque fovere, ex LAUBII, MARTINI, TULPII, & ACT. BEROLIN. obſervationibus

 cum

(*a*) Epiſt XVII. articl. 25.
(*b*) Ann. 1707. (*c*) Lieutaud. ſynop. medic.
(*d*) Obſer. anat. Med. 19. pag. 52.
(*e*) In Epiſt. ad Amic. Novar. vid. novelle letter. di Firenz. Agoſt.. Ann. 1758.

cum SENACIO deducimus. In phthiſicis cor pariter valde magnum adeſſe, docent alii Auctores, & Hydrope peremptos cor valde dilatatum habuiſſe, ſcribit CHESELDEN (*a*).

XCI. Neque illis aſſentimur, qui haſce infirmitates a corde primo affecto ſemper pendere aſſerunt, ideoque ab iiſdem cordis aneuryſmata oriri negant. Notum ſiquidem eſt haec mala ſaepiſſime ſejuncta reperiri; ergo & ab aliis principiis ſunt repetenda. Verum ſi quis pancratice valens pleuritide, aſthmate, vel alio conſimili morbo affectus fuerit, poſt haec vero praecordiorum aneuryſmatis ſigna appareant, non ne aneuryſma ſecundarium erit, oriundum ſcilicet a pulmonibus primum laeſis? Quibus poſitis, ſi cauſſae, & ſigna abſint, quae praecordiorum vitia gignere poſſunt, vel jam nata manifeſtant, adſint vero, quae pleuritidem, aſthma, & hydrothoracem: atque inde praecordiorum aneuryſmata prodant; an non haec tum a pleuritide, aſthmate & hydrope pendebunt?

XCII. Omitto febres intermittentes, & acutas: pronum enim eſt intelligere, quomodo hae aneuryſmata inducunt, & ſatis cum ab HEURNIO (*b*) tum a FANTONIO variis obſervationibus confirmatum fuit. Cordis palpitationes ſilebo, quarum efficaciam in aneuryſmatibus procreandis, hiſtoriae medicae ſatis extollunt. Etenim in Juvene poſt enormes, validaſque palpitationes demortuo ſiniſtrum cordis cavum triplo majus dextero inventum fuit (*c*). In ACTIS PARISINIS (*d*) legere eſt de homine triginta quatuor annorum poſt diuturnas, validaſque cordis palpitationes e vivis erepto, in quo cordis ventriculus dexter immodice diſtendebatur, & tamen ejus ſubſtantia naturali craſſitie praedita erat. Quare huc referendae veniunt omnes cauſſae palpitationes ſuſcitantes, ejus nimirum inflammatio, abſceſſus, tubercula, lapilli, oſſicula in ipſo corde genita, & quaecunque ſanguinis e corde liberum egreſſum vel in ipſum

(*a*) Vid. Senac. cap. 9. n. 3. (*b*) Obſerv. XXVIII.
(*c*) Abridgment tom. 5. pag. 229. (*d*) Ann. 1735. hiſt. pag. 29.

ipſum ingreſſum aliquo modo impediunt; nimia ejus irritabilitas, vel univerſi ſyſtematis nervoſi ſenſibilitas, pus denique, ichor, ſerum acre in pericardio collectum, tumor, abſceſſus, ipſius pericardii craſſitudo, durities, nimia pinguedo, vel cartilaginea, vel oſſea natura, vel cum corde arcta connexio, a quibus omnibus cordis palpitationes proficiſcuntur.

XCIII. Scabies, & quaecunque aliae cutanae eruptiones frigore, vel non accomodatis remediis intempeſtive retropulſae non raro internis aneuryſmatibus originem praebent. Profecto Celeb. MORGAGNUS (*a*) agnoverat Nobiliſſ. virum ſcabie unguento ſulphureo retropulſa aneuryſmaticum evaſiſſe. Nec ſilentio praetereundum eſt ſubitas tempeſtatum mutationes, frigus immodicum, calorem excedentem, aërem humidum, nec non nimiam aërei fluidi elaſticitatem (*b*) aneuryſma inchoare, vel jam inchoatum non nunquam augere. Ex Celeber. quoque RUISCHII (*c*) obſervatione aliquando eundem aërem in cordis cavis expanſum haec aneuryſmatice diſtendere, innotuit.

XCIV. Hae ſunt cauſſae procatarticae, a quibus praecordiorum aneuryſmata procedunt. In praeſens illas enumerabimus, quae cuique iſtorum aneuryſmati propriae ſunt. Contuſio igitur prout uno, vel alio loco facta fuerit cor, vel aortam deſcendentem, vel aſcendentem aneuryſmaticam efficiet. Polypi pariter, de quorum exiſtentia nos non ambigimus, in arteria pulmonali latentes, & tumores vicinarum partium hanc comprimentes, vel haec

(*a*) Epiſt. 17. artic. ultim.

(*b*) Uti egregie adnotavit Clariſſ. Michellotti in inſtit. Bonon. commentar. tom. 1. pag. 438.

(*c*) Hollerius cordis capſulam utris inſtar inflatam vidit, & Rhodius centur. 11. obſerv. 12. pulmones ita flatu turgentes, & inflatos obſervavit, ut omnem thoracis cavitatem implerent; quod Alexander Knips-Macoppe fieri poſſe etiam concedit ſua in epiſt. de aortae polypo pag. 32.

ipſa arteria nimis rigida, vel anguſta vel valvulae ſemilunares nimium durae, vel oſſificatae, vel tartarea aliqua materia his adhaerens, pulmonum infarctus, quae omnia impediant, quominus ſanguis libere e cordis auricula dextera, & ejus ventriculo in pulmonalem arteriam ingredi poſſit, harum partium dilatationes gignunt. Ipſa arteria pulmonalis valde extenſa, adeoque elaſtica, & contractili vi amiſſa, non valet ſanguinem in pulmones propellere. Hinc requiritur, ut cor ipſum repetitis ictibus & contractionibus eundem ſanguinem ultra aneuryſma ipſum promoveat. Quare hoc jure, ac merito intra varicoſi generis dilatationum cauſſas enumeratur.

VC. Contra ſi recenſitae cauſſae aortam ipſam afficiant, tunc ſiniſtrarum cordis cavitatum aneuryſmata fient. Ex nimia aortae anguſtia cordis dilatationem exortam invenit MORGAGNUS (*a*). Quod jam in quadam Virgine dinotaverat Clariſſ. MECKELIUS (*b*). Animadverſione dignum tamen eſt, ſiniſtrarum cordis cavearum aneuryſmata diuturnitate temporis idem vitium ventriculo dextero, ejuſque auriculae inferre: Quo in caſu ſanguine diutius in pulmone detento, atque congeſto, major obex a dexteri ventriculi contractione ſuperandus erit; quod ſi addas, ventriculum dexterum caeteris paribus ſiniſtro facilius dilatari (ipſa autopſia dexterum ſiniſtro ſubtiliorem, ampliorem, & minus reſiſtentem oſtendit.), res facilius percipi poterit.

IVC. Clariſſ. LANCISIUS (*c*) aſſerit quod *ſi impedimentum aliquod curſui ſanguinis poſitum ſit ad oſtium aortae, non idcirco tamen dilatationem ſinuum ſemper contingere in ſiniſtris cordis cavis, ſed juxta minorem fibrarum reſiſtentiam in dextris plerumque ſolere*. Nos autem hanc Clariſſ. LANCISII propoſitionem cum Sapientiſſ. MORGAGNO

(*a*)

(*a*) Epiſt. XVIII. n. 4.
(*b*) In memoir. de l'Acad. Royel. de Berlin, ann. 1750.
(*c*) De Aneuryſ. in gener. prop. 53.

(a) diſtinguentes dicimus, *ſi ad emiſſarium ſiniſtri ventriculi obſtaculum eſt, neque hic tamen, ſed dexter magis dilatatus eſt, videbitur majus quidem robur, quam ſoleat obtigiſſe ventriculo ſiniſtro, minus autem dextero, ſive hoc a primordiis, ſive poſtea quacumque de cauſſa acciderit*.

IIIC. Aortae aneuryſma generant tumores quicumque aliquo in loco ipſam arteriam comprimentes, polypi in ea congeniti, uno verbo, quidquid proxime, vel remote ſanguinis libero circuitui per eam vel partes huic adnexas impedimento eſt. Obſtructiones ergo viſcerum imi ventris, ſpaſticae diaphragmatis contractiones, quae ipſam arteriam conſtringere debent per ipſius diaphragmatis tendineum, foramen tranſeuntem: Omentum nimis pinguedine infarctum, & alia hujuſmodi ad hanc claſſem merito referuntur. Hinc intelligimus, cur artifices, qui dorſum incurvare debent ad artem ſuam exercendam, cur litterati homines, qui ſive legendo, & meditando, ſive ſcribendo anterius pectus flectunt, tam crebro aneuryſmatibus afficiantur, ut conſtat ex MORGAGNI, aliorumque obſervationibus (b). Dum enim in iſtis hominibus corporis membra diverſimode inflectuntur, & dum curvo corpore pectus inclinatur, omnia abdominis viſcera vehementer comprimuntur, adeoque difficilis erit per inferiora ſanguinis circuitus; quo-circa aorta majorem reſiſtentiam ſuperare debebit ad ſanguinem per imi ventris viſcera promovendum, hinc ſenſim ejus tunicas, etſi ſatis firmas expandendas, nec non diſrumpendas eſſe, affirmamus, haec vero dilatata temporis progreſſu, & ventriculus cordis ſiniſter dilatabitur, ut (n. vc.) relatum fuit.

IIC. Dilatationes autem arteriarum in uno potius loco, quam altero contingere propter earum flexiones, vel aliam peculiarem conſtitutionem, obſervationes, & ratio ſuadet. Ita facilius prope aortae arcum diſtenſiones fieri, quam alibi

(a) Epiſt. XVIII.
(b) Epiſt. XVII. & XVIII.

bi adnotavit MORGAGNUS (*a*), & ſimul rationem aſſignat. Clariſſ. FREINDIUS (*b*) etiam explicat, quomodo hoc eveniat, ubi ait, *certum eſt, aortam ſupra ejus flexionem facilius dilatari poſſe ob reſiſtentiam eam, quae ſanguini illic ex ejuſdem curvatura opponitur, ex quo etiam in hac arteriae parte ut plurimum aneuryſmata producuntur. At ſi iſta in dilatatione tantum conſiſtant, nullibi hanc facilius, quam in eo loco fieri poſſe credibile eſt.* Quod etiam elegantiſſime pro more ſuo explicat Sapientiſſ. MICHELLOTTI (*c*).

IC. Ex his colligimus, primo frequentius arteriam aortam dilatari, raro vero Arteriam pulmonalem ob dexteri ventriculi debilitatem. Secundo ſaepe pulmonales venas aneuryſmata contrahere. Tertio crebrius auriculas, quam ventriculos, & dexterarum cavitatum dilatationes frequentiores eſſe quam ſiniſtrarum, quemadmodum docet SENACIUS (*d*). MORGAGNUS e contra cum ex ſuis tum aliorum obſervationibus *plura ventriculi ſiniſtri, quam dexteri ſe inveniſſe, & legiſſe aneuryſmata prodidit* (*e*). *Siniſtrae autem auriculae non multa.* SENACIO ergo, an MORGAGNO aſſentiendum ſit? Decernere non audeo.

CAPUT

(*a*) In adverſ. 2. animadverſ. 41.
(*b*) In Hiſtor. medic. loc. jam cit.
(*c*) Jam cit. diſſert.
(*d*) Lib. 4. Cap. 4. n. 2.
(*e*) Epiſt. XVIII. n. 5.

CAPUT V. *

De ſignis in genere praecordiorum aneuryſmata indicantibus.

C. INter illa, quae difficiliorem, obſcurioremque ſcientiam medicam reddunt, primum tenet locum hujuſcemodi morborum diagnoſis. Siquidem nondum cognitum eſt verum, & pathognomonicum ſignum, quo haec mala a caeteris omnibus certo diſtingui poſſint. Quare mihi vitio vertendum non erit, ſi hanc ad illam evidentiam non reducam, quam flagranti animo optaveram. Satis igitur erit, ſi clariora, conſtantioraq. ſigna a Doctiſſ., & Diligentiſſ. viris his in malis obſervata eo ordine referam, ut illorum idea clarior, quoad fieri poteſt, reddatur.

CI. Ut vero minus difficultatis medico occurrat in iſtiuſmodi morbis indagandis, cum ALBERTINO (*a*) manum ad thoracem, vel ad eum locum, in quo vitii ſuſpicio eſt, applicandam eſſe, commendamus; tunc enim quemdam inſuetum motum manu percipies, vel cum, vel ſine pulſatione, vel etiam vix aliqua. Ut plurimum motus, qui conjunctam habet inſolitam, diu durantem, & cum vibratione, ictuque micantem pulſationem, diſtinguitur in ſimplicibus aneuryſmatici generis, ut notat ALBERTINUS, dilatationibus, totius cordis ſcilicet, aut auriculae, & ventriculi ſiniſtri, aut Aortae, aut ſubclaviarum, carotidum, axillarium, aut aliarum ab aorta deſcendente prodeuntium: motus vero, qui abſque tali pulſatione eſt, aut fere inſenſibilis adeſt, plerumque dilatationes varicoſi generis indicat, ideſt caudicis venae cavae, auriculae, aut ventri-

culi

(*a*) Cit. lib. pag. 382.

culi dexteri, aut arteriae, & venae pulmonalis, aut venarum ſubclaviarum, jugulariumque. Hanc itaque obſervationem (quamquam certa lege innixa non ſit, ut pluribus de cauſſis, dilatationis nimirum gradu, magnitudine, & figura, loci varietate, complicatione, temporis, aliarumque rerum ratione mire variari interdum non poſſit) his in morbis dignoſcendis perutilem eſſe aſſerimus.

CII. ALBERTINUS enim (*a*), qui hoſce motus variis a cauſſis interturbari poſſe, agnoverat; nihilominus *pulſationem* ſupra memoratam, *in cognitionem fere certam deducere vitiorum generis aneuryſmatici* dixit, ipſamque tam valide micare, ut coſtas, & ſternum in magni tumoris ſpeciem elevet, illaſque etiam ſaepe perfringat. Sciendum tamen eſt, hanc ipſam pulſationem, aut ſane modicam, aut valde minorem ALBERTINUM *comperiſſe, ubi ſubſtantia cordis a baſi ultra medietatem ipſius conſiſtentia, & colore quaſi tendinea, aut flaccida nimis evaſerit, vel ubi parietes dilatatae arteriae praeter modum craſſiores redditi aut oblongum, & veluti fornicatum concreti, & polypoſi ſanguinis aggerem intra ſe nacti, aut cartilaginea oſſeave intrinſecus tunica fuerint omnino obducti.* Quod poſtremum ubi accidit, cognoſci poterit, ſi pulſatio olim praeceſſerit, diuque perſtiterit, & inde paulatim elanguerit, meliuſque inde Aeger ſe habeat. Quando vero ſine hac cauſſa pulſatio, & pulſus obſcuriores, debilioreſque evadunt, tunc vires deficere, ac mortem appropinquare, perſpicuum eſt.

CIII. Quo facilius cognoſcimus vitia, quae ad aneuryſmaticorum genus ſpectant, eo difficilius, quae ad varicoſorum genus retulimus dignoſcuntur, & inter haec difficilioris indaginis eſſe, quae motum non modo (n. CI.) pulſationis dictae expertem, ſed & levem admodum edunt: aegrius vero, quae eundem motum profundum, confuſum, & obſcurum habent, omniumque aegerrime, quae nullum, aut vix ullum ejus indicium praebent, cum

AL-

(*a*) Eod. loc. n. 101. cit.

ALBERTINO ſtatuimus.

CIV. Sedulo inquirendum eſt, quibuſnam morbis aeger antea obnoxius fuerit; poſtea examinandum, quaenam cauſſae evidentes anteceſſerint, praeſentemque morbum probabiliter induxerint: his autem cum illis comparatis, quae aneuryſmata inferre (n. lxxv. uſque ad ic.) adnotavimus, de iſtorum praeſentia, aut abſentia jure ſuſpicari poteris.

CV. His praemiſſis, ſi pulſatio non valida admodum ſit, ſed modica, aut longe minor, quam vitii magnitudo ferat, aut loci conditio, puta ſub ſterno, eam minus manui ſenſibilem reddit. Tunc digitorum extremitates juxta aſperae arteriae latera altius quoad fieri poteſt ad jugulum, & ſub claviculas adigendae ſunt, eodemque temporis momento carotidum motus, aut venarum jugularium undulationes intentis oculis accurate luſtrentur; idque repetitis vicibus a ſcalarum, locorumque acclivium aſcenſu, a paſtu, & poſt tuſſim, vociferationes, animique contentiones, ne ea Clinici diligentiam, ſagacitatemque effugiat.

CVI. Ut aegrotantium examen minus mancum ſit, inquirendum ſupereſt, an motus manu perceptus a naturali recedat, nec ne, & quali quantoque receſſu; praeterea ubi ſit, an in propria cordis ſede, an in vicinia; an pars pulſans ſuam ſervet naturalem diametrum, an vero majorem amplioremque exhibeat, quae difficilius patent, ſi aneuryſmata in pectore contenta ſint; ſi vero extra hoc morbi ſedes fuerit, tunc coſtae impedimento exploranti manui eſſe non poſſunt; at probe conſiderandum eſt, & facile anatomes bene perito perſpectum fiet, num diametros arteriae aucta, an vero ſecundum naturam ſit. Hinc coeliacae, & aortae dilatatae diagnoſis eruitur.

CVII. Illis, quae (n. c. uſque ad cvi.) diximus accuratiſſime indagatis, obſervatiſque vel aliqua ſigna reperiuntur anevryſmatici, vel varicoſi vitii genus indicantia, vel nulla; ſi aliqua confirmari, ſi nulla ſupleri poſſe aliis, quae aliunde

derivantur, cum ALBERTINO dicimus, e pulſuum ſcilicet rythmo, magnitudine, aut parvitate, tenſione, aut mollitie, vibratione, tarditate, frequentia, inaequalitate, idque duplici ratione, vel quoad numerum pulſationum, vel quoad earum magnitudinem, intermiſſionem, vel alio quocumque modo a naturali aegrotantis conſuetudine ſine manifeſta cauſſa deflectente, & non ſine aliqua conſtantia ſuperveniente: e reſpirationis vitio, ſi ejus actio ſcilicet, vel modus plus minus laedatur, e motu plus minus concitato, vel ab accliviorum locorum aſcenſu, & ſenſu aliquo aut ponderis, aut levis doloris, vel ardoris cordis regionem ſaepe infeſtante; ac praeſertim ſi cordis inordinati, irregulareſque motus, & palpitationes praeceſſerint, aut concurrerint: e decubitu, & ſomno in utrovis latere ſaepius in ſiniſtro pro more non facili: e ſomni, & in primis inter ejus initia interruptione, & leni aliquando ſe movendi, reſidendique neceſſitate: ſuppetit etiam ſi patiens in cibo ſomnoque capiendo antrorſum, & in pectus ſe ſe inclinare lubenter incipiat (quamquam aliquando contrarium exoptet, (ut n. CXXXXIV. videbimus) in quem deinde poſitum eo magis impellitur, quo magis augetur proceditque morbus, ac demum ſi magnis ad ſtomachi regionem moleſtiis ſummopere divexetur.

CVIII. Perpendendum tamen eſt reſpirationem incipiente morbo vel paulo poſt ejus initium non laedi, niſi poſt concitariorem motum, aut modice tantum vitiari, ac inter ſomnum plerumque aliquam primum permutandi lateris, aut reſidendi neceſſitatem induci: ingraveſcente vero morbo dyſpnoea & ipſa increſcit, immo ſaepius leviorique ex cauſſa aggreditur, & interdum miſeros aegros extemplo quaſi praefocat. Aneuryſmata enim in thoracis cavo contenta cujuſvis generis ſint, propria mole pulmones comprimunt, deſanguiniſque per eos circuitum pervertunt, deturbant, degravantque, aliquando etiam diaphragma ipſum praegravant, ſicque pro diverſa eorum magnitudine & loco nunc dyſpnoeam, orthopnoeam, vel apnoeam progignunt. Quare

re Clariſſ. BONETTI, LANCISII, VALSALVAE, MORGAGNI, SENACII, LIEUTAUDII, aliorumque obſervationibus innixus (quamvis me non fugiat unam, vel alteram hiſtoriam extare, in quibus praecordiorum aneuryſmata abſque difficili reſpiratione detecta fuiſſe narrantur, ut videre eſt apud MORGAGNUM (a)) Nunquam reſpirandi difficultatem in praecordiorum aneuryſmaticis vitiis abſuiſſe contendo. An ergo pathognomonicum ſignum? Negative reſpondemus.

CIX. His enim morbis tantum proprium non eſt, ut requiritur ad verum pathognomonicum ſignum alicujus mali conſtituendum, ſed in hyſterica, vel hypochrondriaca affectione, in pulmonum inflammatione, in empyemate, in hydrothorace, hydrocardia, catarrhis, aliiſque in morbis obſervatum fuit: nihilo tamen ſecius ſi ſuſpicio, & cauſſae iſtorum morborum abſint, non leve de aneuryſmatum in praecordiis praeſentia indicium erit.

CX. Omnem cordis inconditum motum, aut pulſus, reſpirationiſque laeſionem non ſemper praecordiorum vitia indicare nos admonent affectiones hyſtericae, hypochondriacae, chloroſis ex non reſpondentibus menſibus, naturalis cordis amplioris vis, aut pectoris anguſtior capacitas, vel ab ortu prava thoracis constructio, aut pulſus naturaliter inaequalis, aut intermittens, & praeſertim in pueris, ſenibus, & podagra confirmata laborantibus, aut imminente ipſo podagrico inſultu, in quibus ſi febris ſuperveniat naturalis evadere ſolet, ſicut a naturali in intermittentem in febribus mali moris, aliiſque morbis, abſque ullo organico vitio vertitur. Quod etiam evenit, ſed non aequali cum intenſitatis gradu ob malam ſanguinis dyſcraſiam.

CXI. Cum autem haec ſigna, vel omnia, vel plura concurrunt, & diu, conſtanterque perſerverant ſine alio manifeſto pectoris morbo, ſi non omnino, & ſpeciatim, at non

 levi-

(a) Epiſt. XVIII. artic. 25.

leviter ſaltem de naſcentibus praecordiorum vitiis, vel jam natis nos monere poſſunt, *eoque magis* inquit ALBERTINUS (*a*) *ſi quis ipſis aliae veluti remotiores notae adjungantur*. Si dolor rheumaticus, ad ſuperas thoracis partes, ad humeros, ac ab his ad medietatem uſque unius, vel alterius brachii, vel utriuſque perſentiatur, & ad homoplatas, & praecipue dexteram, cui interne reſpondere agglutinationem magni aneuryſmatis cum pleura, nec non coſtis inibi attritis idem conſpexit ALBERTINUS.

CXII. Ne vero ex relatorum ſignorum praeſentia, vel abſentia ipſos aegros aneuryſmaticos eſſe, vel non, feſtinantur nimium judicemus, cum Clariſſ. HAENIO (*a*) animadvertere oportet, dari in corpore humano cauſſas aneuryſmatum validas, immo aneuryſmata ipſa interna magna citra ſui indicia, alios potius morbos, quam haec mentita, quod binis obſervationibus confirmat (*b*).

CXIII. Quare operae pretium duco, praecipuas enumerare infirmitates, quibuſcum facile aneuryſmata confunduntur, ſimulque ſigna indicare, quibus haec ab illis diſtingui poſſunt. Hydrothorax igitur non raro multa praeſefert ſymptomata aneuryſmatum praecordiorum propria, verum pectus aqua non obrui ex ſitis, tuſſis, & febriculae defectu & ex nulla ſenſibili aquarum fluctuatione a corporis variis commotionibus orta, & ex eo, quod nullum levamen ab hydragogis, & ſudoriferis aegri habeant, & urinae nec crudae, nec lixivioſae ſint, nec extremitatum oedema, pulſuſque duri deficiant, jure inferimus.

CXIV. In pulmonis hydrope difficiliorem, graviotemque reſpirationem eſſe quam in hydrothorace ſapientiſſ. cum ALBERTINO affirmamus. Serum enim in thoracis cavitate ſtagnans, dummodo purum & limpidum ſit, magnam ſpirandi difficultatem non inducit, niſi utramque pecto-

---

(*a*) Cit. jam differt.
(*a*) Rat. med. part 7. cap. 2. §. 81
(*b*) In eoq. libr. §. 3. & 4.

pectoris cavitatem impleat, vel alterutram ſic, ut alterius etiam magnam partem inundet. Si vero ſtimulantis naturae fuerit, eamdem ita difficilem reddit, ut aeger prae anxietate decumbere nequeat, etiam ſi parva in quantitate in ipſius pectoris cavo colligatur. Quando id evenit ex levi, ſed frequenti, ac potius ſicca tuſſi dignoſcitur. Pulmonis hydrops (quamvis raro in cadaveribus obſervetur, quia levi negotio in hydropem pectoris tranſit, nec non tam per alvum, & urinas, quam per ſudorem judicatur.) quando jam altiores radices egerit, cum HIPPOCRATIS deſcriptione congruere debet: ait enim (*a*): *Si hydrops in pulmone ſit, febris, & tuſſis tenet, & acervatim reſpirat & ungues contrahuntur, & patiuntur talia, qualia quis ſuppuratus ſit. Et ſi multo tempore aure ad latera adhibita audire tentaveris, ebullit intrinſecus veluti acetum, & haec quidem aliquando patitur, poſtea erumpit ad alvum, & ſtatim quidem ſanus eſſe videtur.* Adde quod hujuſmodi morbo affecti niſi fere erecta cervice ob auctam ſpirandi difficultatem ſomnum capere non audeant, prout HEREDIA (*b*) ſe vidiſſe refert in quodam viro, qui *noctu ſuffocationis invaſiones ſic pertimeſcebat, ut mallet vigiliis perpetuis conſumi, quam ad dormiendum ſe recolligere.* Hos autem graviſſimos in ſomni initio inſultus inter pathognomonica hujus morbi ſigna recenſuit RIVERIUS (*c*). Quare ſi per cathartica vel ſudorifera, vel diuretica remedia oedema demptum ſit, vel cujuſcumque generis pulmonalis infarctus cauſſa, nihilo tamen ſecius ſpirandi difficultas cum pulſu inordinato, & inaequali remaneat, tunc merito de aliquo praecordiorum vitio ſuſpicio erit.

CXV. Pericardium quoque tumore aliquo obſeſſum (*d*) vel hydrope laborans (quidquid in contrarium habeat DIO-

---

(*a*) Lib. 2. de morb.
(*b*) Diſput. 6. de morb. diff. cap. 4.
(*c*) Pra. med. lib. 7. cap. 5.
(*d*) Rondeletius de digno. morb. cap. 10. Palpitationem, & tn-

DIOMERBROCKIUS (*a*). Nam RIOLANUS (*b*) & TULPIUS (*c*) palpitationem cordis a pericardii hydrope excitatam ſuiſſe viderunt; Et CAROLUS PISO (*d*) in quodam palmo, & dypſnoea laborante plures aquae libras in pericardio invenit) cordis motus depravat, reſpirationem afficit ita, ut tam facili negotio diſtinguere non poſſimus, utrum haec ſymptomata a pericardii vitiis, an vero ab aneuryſmatibus praecordiorum deducenda ſint. Pericardii hydropem cognoſcimus, ſi praeter ſigna, quae hydrothoracem indicant, & n. CXIII. & CXIV. numerata ſunt, dolorem, & oppreſſionem in cordis regione, fluctuationeſque aegri percipiunt. Haec omnia quamvis non raro & in ipſo hydrope pectoris obſervata fuerint, attamen & rarius haec contingunt, & minori in gradu, & valde intermittentia deprehenduntur. Suffocationes autem conſtantes, fluctuationes, tuſſim ſiccam, cubandi difficultatem praecipua eſſe ſigna, quibus internoſci poſſit pericardii hydrops a cordis vitiis, Clariſſ. SENACIUS (*e*) adnotavit GALENUS (*f*) vero cum cordis ſyſtole, & diaſtole a pericardii hydrope vitiantur, palpitationem oriri dixit *quadam cum ſignificatione quod ipſum in humore moveatur*: Hoc etiam obſervavit HERCULES SAXONIA (*g*) in quodam Veneto, *qui ſibi Cor quaſi in aqua natare videri, dicebat*. Nec non ipſe

---

tuſſiculam a tuberculo circa pericardium excitatam narrat; & ut Petrum Salium de curat. morb. ab. &c. cap. 7. alioſque omittam Zacutus Luſitanus prax. admir. lib. 1. obſer. 128 ter morbum hunc ſequentibus ſtipatum ſymptomatibus vidit. Hi inquit *animi deliquio, cordis palpitatione, pulſu duro parvo, nulla praecedente valetudinis cauſſa, ſyncope oppreſſi vitam ducebant*, & accedente *febricula conſumpti ſunt*.

(*a*) Anat. lib. 2. cap. 5.
(*b*) Med. part. 5. ſect. 1. tom. 2.
(*c*) Obſer. med. lib. 2 cap. 26.
(*d*) De il. ſer. ſect. 3. cap. 11.
(*e*) Lib. 4. cap. 6. num. 6.
(*f*) Lib. 5. de loc. affec. c. 2.
(*g*) Praelec. pra. p. 2. cap. 1.

ipſe JO: FORTIS (*a*) in alio homine confirmavit, qui fluctuationis ſenſum perſentiebat, ac ſi cor aquae innataſſet cum pulſus lenitate, ac mollitie, & quadam aſſidua ſpiritus coarctatione, cordis tremore, vel jactatione. Talis vero ſenſus, ſi fides SENACIO habeatur, omnimode valde dubius eſt, utcumque realis eſſe poſſit. Multum quoque lucis affert ad hydrocardiam diſtinguendam pulſuum conditio. Hos parvos, debiles ſaepe raros etiam eſſe, repetitae clinicae obſervationes Clariſſ. Praeceptori meo BORSIERI oſtenderunt; cum contra in aneuryſmatibus, magni fortes, crebri eſſe ſoleant.

CXVI. At quiſnam polypos ab aneuryſmatibus praecordiorum certe, & tuto diſcriminare par erit? Re quidem vera ſummo cum medicinae dedecore fatendum eſt, vera pathognomonica polyporum ſigna adhuc deſiderari. Indicia enim, quibus hi ſtipantur, hydrocardiae, hydrothoraci, ipſis aneuryſmatibus communia ſunt. Praecipua vero quae in polypis obſervavit MALPIGHIUS (*b*), ſequentia dicuntur: *praecordiorum anguſtia, pulſus vibratus, & intermittens, vaſa in jugulo dilatata, frequens animi defectus, brachii torpor, pulſus obſcuritas in eodem, & in ſterno ſpaſmodicus dolor*. His ſimilia recenſuit HOFFMANNUS, ubi (*c*) *polypi*, ait, *initium arguit compreſſio pectoris, & fixus circa cor dolor. Si vero jam incrementum caepit, praeter haec frequentius, vel levi de cauſſa recurrit cordis palpitatio, pulſus variis modis inaequalis, & varius eſt ſaepiuſque notabilibus intervallis intermittit. Tum a motu corporis fortiori, vel medicamento ſanguinem exagitante ſumpto, ab affectu animi vehementiori, dypſnoea, & incredibilis cordis anxietas urget. Poſtremo lipothymiae frequentia ſine cauſſa evidente, vel quae a certo corporis decubitu provenit, eſt in ſignis polypi praecipuis commemoranda*. Non ne haec aneuryſmati praecipue

(*a*) Conſil. cent. 2. conſ. 46.
(*b*) Oper. poſth. p. 44.
(*c*) Med. Rat. Syſt. t. 3. ſect. 5. c. 7. §. 44.

pue ſaccato, apprime conveniunt? Nihilo tamen ſecius pulſus inaequalitatem, praeſertim ſi conſtans ſit, & diu perſeverans, cum cordis angore, tremore, & difficili reſpiratione non leve polypi indicium eſſe Sapientiſſ., recentioreſque Medici teſtantur. Ne vero ex his polypum abeſſe, vel adeſſe, nimis temere credamus, ſcitu neceſſarium eſt, non raro ſine ullo ex enumeratis ſignis veros polypos in cadaveribus inveniſſe Auctores fide degniſſimos, & contra omnia obſervata fuiſſe viventibus in hominibus polypi ſymptomata, & factis eorum cadaverum ſectionibus ne quidem polypi veſtigium apparuiſſe (*a*).

CXVII. Monuiſſe tandem ſufficiet tubercula, & potiſſimum cruda, convulſiones, hyſtericas, & hypochondriacas affectiones, flatus, tumores prope arterias natos, vermes quoad ſymptomata tam bene aneuryſmata ſimulaſſe, ut Medici quamvis exercitatiſſimi interdum decepti fuerint. In tanta vero rerum ambiguitate non parum lucis obtinebimus ex accuratiſſimo cauſſarum praecedentium examine. Si enim illae ejuſmodi ſint, quae motum cordis fregerint, & ſufflaminarint, aut ſanguinis e corde egreſſum impediverint; uti ſyncope, lipothymia gravior, pavor ingens, moeror diuturnus, & ſimilia, atque hinc memorata phaenomena ſupervenerint, deſint contra aliorum morborum cauſſae, cur de polypi praeſentia non erit pronuntiandum?

CA-

(*a*) Vid. PASTA epiſt. 2. de Cord. Polyp. in dub. revocat. n. 4. & ſeq.

CAPUT VI.

De peculiaribus cordis dilatati ſignis.

CXVIII. APparentibus in homine aliquo genericis praecordiorum aneuryſmatum ſignis; ſi Cor aneuryſmaticum ſit, manu ſiniſtrae mammae admota ejus ictus non ibi tantum diſtinguitur, ſed latius, quam cordis naturalis magnitudo poſtulat, ad ſternum, & ad latera undequaque extenditur, & ita ejus pulſationes confunduntur, ut ad certos, determinatoſque numeros redigi fere non poſſint: immo illud percipimus, quod perciperemus, ſi toto pectore, nimirum a jugulo ad ſcrobiculum cordis, ac ad ejus latera etiam demiſſiora plura quaſi corda ſimul, & ſine ordine ſubſilirent, & id quidem pro varia aneuryſmatis magnitudine, figura, & craſſitie.

CXIX. Quicumque corporis motus, animique affectiones anhelationem, graviorenque ſpirandi difficultatem, & moleſtiorem cordis palpitationem excitant. Inſuper aegrotantes in ſiniſtro thoracis latere, ubi dolor ut plurimum, & pondus, vel ardor eſſe ſolet, diu decumbere interdum non poſſunt; ſubinde enim pectoris oppreſſionibus, anxietatibus orthopnoeis, ac animi licet levibus deliquiis corripiuntur, quae mala tum a corde mole nimis aucto, & pulmones praegravante, tum a compreſſione nervorum cardiacorum, tum demum ab hujuſmodi poſitu oriuntur, qui ſanguinis ingreſſui, vel egreſſui e cordis cavis impedimento eſt. Quandoque tamen facilius, commodiuſque ſpiritum ducunt, alimentaque deglutiunt corpore ad anteriora converſo, quia cor tota gravitate tunc ſterno incumbit, hinc tollitur cauſſa, quae pulmones, vel aſperam arteriam, & oeſophagum comprimendo, reſpirationem, ciborumque deglutitionem difficilem reddit.

CXX. Pulſus vero plerumque magnus, durus, vehemens, vibratus, ac ab initio rarus, deinde item durus, ſed celerior, & inaequalior eſt, ut in vivente ſene, in cujus cadavere *cor magnum praetermodum* dexteramque auriculam *dimidiatum cor* aequantem obſervavit Clariſſ. VALSALVA (*a*). Interdum tamen naturalis eſſe poteſt (quod potiſſimum notatum fuit in dilatationibus generis varicoſi, ut n. CXXIII. videbimus) ut idem Auctor adnotavit in ſexagenarii cadavere, qui cor magnum, ejuſque auriculam dexteram ita expanſam habebat, ut *ingens aequaret marſupium* (*b*). Quin etiam parvus, exilis, intermittens, (*c*) ſed tunc extenuatio quoque cordis parietum, aut nimia flacciditas, aut aliud vitii genus, aut nerveae vis imminutio cum his conjungitur. Quam parum igitur in hujuſmodi morbis ſoli pulſui fidendum eſt!

CXXI. Non raro cor ipſum deſcendit, atque diaphragma (*d*), & ventriculum ipſum inferiora verſus detrudit, maximaſque circa gaſtricam regionem moleſtias, tumoreſque procreare ſolet, & tunc *cor* vere *prolabi* dicitur, ejuſque pulſatio in hypochondrio in primis ſiniſtro percipitur. Hic monere praeſtat, cordis pulſationem cum aortae ictibus confundendam non eſſe. Quando enim haec dilatata eſt, ejus pulſus in ſtomachi regione manifeſtantur, neque minus ſenſibiles ſunt, quotieſcumque hoc vas nimis turgeat, vel ſanguini circumducto aliquis obex opponatur; Saepe etiam cordis prolapſi pulſationem in epigaſtrio ſic ſentimus, ut aliquando a medicis pro caeliacae pulſatione habeatur, neſcio, quonam innixis principio, quia caeliaca ſufficienti vi micare non valet, ut manui ventri appoſitae ſenſibilis evadat, excepto tantum caſu, in quo enormiter di-

---

(*a*) Morg. epiſt. 17. articl. 6.
(*b*) Ead. epiſt. articl. 8.
(*c*) Ead. pariter epiſt. articl. 25.
(*d*) Vid. Petr. Marchetti obſer. chirurg. obſer. 49. & miſcell. N. C. decad. 2, tom. 4. obſer. 46.

dilatata ſit, quod rariſſime accidit. Quare pulſationes, quae in hypochondrio ſiniſtro perſentiuntur a corde prolapſo cum SENACIO pendere affirmamus (*a*).

CXXII. Nec omnia adhuc enumerata ſymptomata una ſimul requiruntur ad cordis aneuryſma indicandum; ſufficit enim ſi praecipua occurrant, quae juxta Clariſſ. SENACIUM erunt valida cordis palpitatio, ejus continuatio, ac facilitas violentas pulſationes renovandi, quibus adde non ſolum ſpirandi difficultatem, quam nunquam abeſſe diximus (n. CVIII.), verum etiam deliquia. Atque haec ſigna certiora erunt, ſi manibus cordis maſſam ſentimus ipſas coſtas valide percutientem. Idem SENACIUS in nobilis Matronae cadavere, quae cordis palpitationibus orthopnoeae, & lipothymiis jam vixerat obnoxia, cor naturale majus detexit, auriculam dexteram ſcilicet, quam maxime dilatatam, & a naturali forma degenerem. MORGAGNUS in juvenis cujuſdam cadavere, qui de pectoris anguſtia, & magno pondere querebatur, pulſuſque in utroque carpo ſenſibiles non erant, vidit cordis ſtupendam molem. Verum otio abutentis eſſet, ſi alias huc referre vellem obſervationes, ex quibus nunc unum nunc alterum ſignum, nunc plura ſimul in aneuryſmate affectis adnotata fuiſſe colligimus; cum illae infinitae pene ſint apud LIEUTAUDIUM (*b*) ex quo & nos binas relatas deſumpſimus, nec non apud MORGAGNUM (*c*), BONETUM (*d*), LANCISIUM (*e*), MANGETUM (*f*), alioſque.

(*a*) Lib. 4. cap. 10. n. 7.
(*b*) Hiſtor. anat. med. tom. 2. ſect. 8. de Cord. obſervationes
(*c*) De ſed. & cauſſ. morb.
(*d*) Sepulcr. anatomic.
(*e*) De mot. Cord., & aneuryſ.
(*f*) Bibl. med., & Chirurg.

CAPUT VII.

De Signis, quibus dignoſcantur varicoſi generis dilatationes.

CXXIII. IN dilatationibus generis varicoſi pulſum plerumque magnum, ac aequalem eſſe, dummodo aliae morboſae affectiones his non adjiciantur cum LANCISIO, ALBERTINO, & MORGAGNO exiſtimamus; nec ipſi adverſamur ALBERTINO, qui cordis oppreſſiones, animique defectiones in hujuſmodi facilius, quam in aneuryſmaticis vitiis obſervari aſſerit; optimiſque rationum momentis oſtendit (*a*).

CXXIV. Clariſſ. LANCISIUS tanquam pathognomonicum ſignum auriculae, vel ventriculi dexteri praeter naturam dilatati ponit venarum jugularium pulſationem, ſive fluctuationem: ex dilatatione enim iſtarum partium ſequi docet (*b*), orificium ſcilicet utrique interjectum, valvulis tricuſpidalibus caeterum munitum ita dilatari, ut iiſdem valvulis nimium diductis, ſanguinis portio ventriculo ſe ſe contrahente per earum rimas in venam cavam repellatur, unde venarum jugularium conſpicua dilatatio, & mox eodem ventriculo relaxato par conſtrictio alterne contingat. Haec autem pulſatio eodem monente auctore continua ſit, oportet, etiam dum aeger decumbit, & nullo motu, vel animi affectione divexatur. His poſitis, ſi haec pulſatio virum, vel mulierem corripiet, caeteroquin optime valentem, diuque perſeveret cum reliquis dilatatorum cordis cavorum ſignis medicum illas partes dilatatas eſſe, tuto pronunciare poſſe Clariſſ. vir ibidem ſcripſit (*c*).

CXXV.

(*a*) Citat. lib. pag. 389. & 390.
(*b*) Prop. 57. (*c*) Eod. loc.

CXXV. Cum vero Clariſſ. MORANDUS (*a*) a polypoſa ſanguinis concretione in dextera cordis auricula genita, jugularium pulſationem quadam in femina vidiſſet, & Doctiſſ. PASTA (*b*) *duorum hominum cadavera ſe ſecuiſſe* narret, *qui non nullis ante obitum menſibus hac venarum colli pulſatione laboraverant, quorum alter dexterum cordis ventriculum duplo majorem exhibuit....... in altero adeo dilatatus apparuit, ut reſidere in eodem aliud molis ordinariae cor haud difficulter potuerit*. Nec non alibi (*c*) aliam referat obſervationem huc ſpectantem; hinc & nos cum Clariſſ. MORGAGNO arbitramur (*d*) *ſignum a Lanciſio propoſitum ſaepius quidem indicare ventriculi dexteri dilatationem, interdum vero non hanc indicare, ſed vitium tamen aliquod, cujus aut ſedes in cavis dexteris cordis ſit, aut effectus attineat, ſic, ut circumitio ſanguinis, per dexteram cordis partem ſecundum naturam non perficiatur*.

CXXVI. Hoc autem ſignum in chloroticis, & etiam in gravidis interdum occurrit; quare LANCISIUS in virginibus chloroſi affectis pulſationem hanc tunc praecipue obſervari, cum ob locorum acclivium aſcenſum ſanguinis reditum per venas in cor augent, in illis vero, in quibus hae cavitates diſtentae ſunt, perennem eſſe hanc jugularium fluctuationem merito ſcripſit. Si vero a graviditate pendet, poſt partum mox evaneſcere debet; quod ſi perſeveret, de corde dilatato merito ſuſpicabimur. Chloroticae pariter ſi eadem fluctuatione abſque ullo corporis motu detineantur, atque haec poſt martialia, & viperina adhibita remedia diu perduret, hujuſcemodi dilatationem cum LANCISIO criminamur.

CXXVII. Ut recte hoc ſigno uti poſſimus animadvertendum in primis eſt, ne forte pro pulſatione venarum ju-

---

(*a*) Memoir. de l'Acad. des ſciences ann. 1732.
(*b*) Epiſt. de polyp. cord etcet. n. 9. pag. 33.
(*c*) N. 13. ejuſd. lib. pag. 55.
(*d*) Epiſt. XVIII. artic. 10.

jugularium alterna tantum quaedam earum intumeſcentia habeatur, quae violentae inſpirationi, expirationique reſpondeat, utpote VALSALVA, & MORGAGNUS (*a*) in canibus adnotarunt, quod levi negotio cognoſcitur, ſi attente conſideres, utrum inſpirationum, an vero pulſuum numero magis conſona ſit: poſtea inquirendum eſt ne forte pulſationem, quam carotides ſuis validis vibrationibus, interdum ipſis jugularibus imprimunt, pro earum vera pulſatione aſſumatur, quod ſignis a Clariſſ. MORANDIO, & MORGAGNO indicatis diſtingui poſſe ſuſtinemus. Quorum ultimus nos monet, quod ſi carotidum pulſatio jugulares venas alterne elevet, *non ipſas tantum venas, ſed & partes colli proximas ſimul attolli, quae carotidibus e regione magis reſpondent* (*b*). Prior vero (*c*) venas jugulares a carotidibus diſtingui poſſe ſcribit, ſi harum extima ſede, & parietum mollitie conſideratis, atque digito his applicito, pars vaſis, quae infra hunc erit, juxta ſanguinis circulationis leges detumeſcit, quae ſupra, inflatur, & in tumorem attollitur: quod ſi haec jugularium pulſatio, & contuſio cum cordis angore, palpitatione, aliiſque ſignis (n. CXXIII.) allatis conjungatur, tunc certius dexterorum cordis cavorum dilatationes indicantur.

CXXVIII. At cum ex anatomico-medicis obſervationibus venas jugulares pulſare, ac fluctuare modo auriculae dexterae, modo ejus ventriculi vitio poſſe compertum ſit, hinc Clariſſ. MORGAGNO (*d*) duce has internoſcere licebit, ſi obtutu in jugularibus fixo ſimul digitis arteriae, aut temporum, aut carpi admotis, evidenter cernes, eodem temporis puncto venas illas ſe attollere, quo pulſare ſenties arteriam; a contractione ventriculi dexteri hoc in caſu illas micare intelliges: ſin contra, non ab hujus, ſed a con-

(*a*) Epiſt. XIX. artic. 33., & 34.
(*b*) Epiſt. XVIII. art. 11.
(*c*) Loc. n. CXXV. cit.
(*d*) Epiſt. nuper cit. artic. 12.

a contractione auriculae adnexae.

CXXIX. Verum quiſnam dilatationes varicoſi generis, quando nullum, aut vix ullum motus veſtigium praeſeferunt, a pericardii nimia craſſitie, vel ejus cum corde agglutinatione certe diſtinguere par erit? Nam ipſe ALBERTINUS his in morbis dignoſcendis exercitatiſſimus in quodam Principe ſigna adnotaviſſe fatetur, quae organicum varicoſi generis vitium indicare videbantur, dum tamen in ejus cadavere vitium in pericardio invenit. Exinde concluditur, vitiorum pericardii notas ambiguas, nec non aliarum partium morboſis affectionibus communes eſſe, ſi tantum demas cordis perturbatum motum, qui in pericardii vitiis non raro obſervatus fuit. Quare optime animadvertit ipſe ALBERTINUS (*a*) prudentis medici eſſe ſemper dubitare, *is ne ſit ob vitium pericardii, an potius ob vitium alicujus ex iis partibus, quae ſub eodem, & intra idem ſitae ab ipſo non ita cohibentur in ſuis motibus, quin hi ſenſibiles appareant*.

CXXX. Cordis pulſationes in hypochondrio ſiniſtro non raro ſe ſe manifeſtare (CXXI.) jam monuimus: nunc ſilentio praetereundum minime eſt, aliquando in dextero thoracis latere cor ipſum micare, hinc medicos deceptos fuiſſe, qui ex hac pulſatione aneuryſmaticas arterias intercoſtales judicaverant. Hieronymus CARDANUS (*b*) *cor in dextero latere pulſare, ut plurimum lethale eſſe dixit: innuitur enim inde cordis quaſi dislocatio, & in dexterum latus detruſio, vel magnum quid, quod languente ſiniſtro ventriculo dexter propellere annitatur*. Hoc autem tribus hiſtoriis comprobat. Ipſe BONETUS (*c*) *anniculum puerum* vidit, *cui ab abſceſſu in ſiniſtro thoracis latere, cor ad dexterum latus fuit detruſum, in quo pulſus deprehendebatur, qui & non multo poſt tabidus interiit*. An ſemper pul-

(*a*) Citat. diſert. pag. 385.
(*b*) Vid. Bonet ſepul. anat. lib. 2. ſect. 8. ſchol. in obſer. 24.
(*c*) Eod. loc.

pulſatio haec funeſti exitus praeludium erit? Clariſſ. GUIDUS PATINUS, & MOLLEMBROCKIUS (*a*) hos naturae ludos in cadaveribus obſervaverunt abſque evidenti cauſſa, quae cor e propria ſede removere potuerit. RIOLANUS (*b*) CATHARINAE MEDICEAE LUDOVICI XIII. REGIS CHRISTIANISS. MATRI, & cuidam quadragenario viro, dextrum thoracis latus pulſaſſe, abſque ullo ſanitatis & vitae detrimento notat. At RIOLANI obſervationes de parvi aneuryſmatis dexterae auriculae, vel ejus cordis ventriculi praeſentia ſuſpicionem omnem non adimunt. Novum enim non eſt, ut & nos (n. CXI., & CXII.) diximus, nunc unum vel alterum ſignum tantum apparuiſſe in aneuryſmaticis praecordiorum vitiis. His adde Clariſſ. LANCISII (*c*) obſervationes, qui pulſationem hanc cum dexterae auriculae, ejuſque ventriculi dilatatione conjunctam in Proavo, Avo, Patre (*d*) & Filio obſervavit.

(*a*) Ut refert Senacius lib. 4. cap. 10. n. ultim.
(*b*) Vid. Bonet nuper cit. loc.
(*c*) De aneuryſm. in gen. cap. 6. prop. 47.
(*d*) Juvat animadvertere Patrem adhuc in vivis fuiſſe cum Lanciſius has obſervationes publicaverat.

CAPUT VIII.

De Signis, quae ad auriculae ſiniſtrae, ejuſque ventriculi dilatationes ſpectant.

CXXXI. Si ſigna abſint, quae cordis dextrorum cavorum dilatationibus propria ſunt, adſint vero, quae cordis aneuryſmatibus in genere communia eſſe (n. cxviii. uſque ad cxxii.) enumeravimus, tunc merito de ſiniſtrae cordis auriculae, vel ejus ventriculi dilatatione ſuſpicabimur: quod clarius erit, ſi cauſſae praeceſſerint, quae potius ſiniſtri ventriculi dilatationi faveant (n. vc.), & deſuerint, quas dextera cava apprime dilatare aptas eſſe (n. vic.) diximus.

CXXXII. In his igitur reſpiratio difficilis magis eſt, promptiuſque ſe ſe manifestat, quam in varicoſi generis dilatationibus. Hoc ex eo patet, quod ſi ſiniſtra auricula vel ejuſdem ventriculus dilatatus ſit, tunc venae pulmonales difficilius deplentur: iſtae enim cavitates nimis diſtentae propriam, & naturalem contractilem elaſticamque vim amittunt, quapropter contentum ſanguinem lente ultra propellunt; hic igitur in pulmonibus plus juſto reſtitet neceſſe eſt, unde anxietates, ſpirandique difficultates oriuntur; inſuper hae caveae ob proprium poſitum facilius mole ſua pulmones comprimunt, eorumque dilatationem quodammodo impediunt.

CXXXIII. Pulſum nunc inaequalem, vel intermittentem, nunc parvum, nunc debilem, nunc frequentem, nunc rarum eſſe ex ipſis auctorum obſervatis infertur: praeterea hujuſmodi morbo laborantes non adeo facile animo linquuntur. Pulſatio quoque ad cordis regionem tum va-

lida, tum crebra eſt, attenteque pulſationis loco conſiderato cognoſcitur, utrum haec a corde, an vero ab arteria aorta dilatata pendeat, dummodo haec dilatatio in ipſius cordis vicinia non ſit, quo in caſu difficile, ne dicam, impoſſibile judicium erit.

CXXXIV. Huc quoque illa transferenda ſunt (ſub n. CI.) & ſequentibus praecipue commemorata, quae clariorem, tutioremque aneuryſmatici vitii ipſius cordis diagnoſim reddunt. Cum vero haec levi negotio cum aortae aneuryſmatibus confundi ſoleant, nemo mihi vitio vertet, ſi in aortae aneuryſmatis ſignis enumerandis longior ſuero.

CAPUT IX.

De aortae dilatatae ſignis.

CXXXV. ANeuryſma aortae ſi cordis ventriculo dextero contiguum ſit, hoc ab ipſius ventriculi dilatatione, haud internoſci poſſe, vel ſaltem difficulter (n. CXXXIII.) monitum fuit; quare inferimus aortae aneuryſmatis intra thoracis cavum, & longius a corde ſiti ex ejus pulſationis loco praecipua deducenda eſſe indicia. Haec enim modo ſurſum, modo dextrorſum, ſiniſtrorſum modo, uno verbo procul a cordis ſede, nec non in ipſo jugulo, vel temporibus, & dorſo crebris validiſque pulſationibus ſe ſe manifeſtant.

CXXXVI. Reſpirandi difficultas levis non eſt, immo a quocumque corporis motu, & praeſertim a ſcalarum, & locorum acclivium aſcenſu ingraveſcit ita, ut non raro aegrotantes cum ſtertore, & ſibilo reſpirent, vel orthopnoici evadant. Pulſum durum, & vibratum, interdum debilem, rarum etiam, & parvum, intermittentem vero, aut inaequalem rariſſime in aortae aneuryſmatibus obſervarunt, niſi alia vitia ſimul concurrant. Facilis aliquando eſt in utroque latere decubitus, leves & vagos dolores, ardoreſque in thorace, moleſtiaeque ſenſum miſeri aegroti non raro percipiunt, quae facile minus expertos medicos fallunt, & eo magis ſi in principio morbi accidant, nam non infrequenter dolores illi ad rheumaticorum genus injuria reducuntur (*a*).

(*a*) Ne vero quis neget dolores hujuſcemodi ab aneuryſmatibus excitari, in medium proferre juvat Clariſſ. MICHELLOTTI verba, qui in jam cit. diſſert. pag. 442., ubi agit de rheumaticorum affectuum ſpeciebus rite diſtinguendis, hos dolores *prima plerumque aneuryſmatum, vel ad aortae curvaturam, vel in ſubclaviarum, vertebralium,*

CXXXVII. Haec in initio praeſertim obſervantur. Increſcens vero aneuryſma aſperam arteriam, & bronchia & in primis oeſophagum comprimit, hinc ſuffocationes, dyſphagiae oriuntur, dolores graviores, diuturnique fiunt, & magis, atque magis aegros divexant. Haec autem incommoda ſicuti a flatibus ingraveſcunt, ita ipſis erumpentibus miteſcunt, quemadmodum Clariſs. MORGAGNUS, aliis omiſſis, obſervavit in quodam ſene ſeptuagenario (*a*), in cujus cadavere arteria aorta *toto illo tractu quo a corde pertinet ad diaphragma uſque, in enorme dilatata erat aneuryſma*. Qua de cauſſa aegri ſe tantum flatibus laborare credunt, & in hac falſa opinione interdum confirmantur a pſeudo-medicorum, vel agyrtarum auctoritate, qui ad flatus utpote ad ſacram anchoram, quotieſcumque morbi cauſſa ipſis non innoteſcat, confugiunt.

CXXXVIII. Malum vero a flatibus non pendere ex eo cognoſcitur, quod his emiſſis omnia incommoda non evaneſcant, ſed tantum miteſcant. VALCARENGHUS animadvertit quemdam ſuum aegrotum (*b*) poſt alvi dejectiones, vel expulſos flatus melius ſe habuiſſe, & hanc cauſſam fuiſſe, ob quam medici nonnulli ad hypochondriaçam affectionem malum hoc retulerint, & ſimul ipſe indicat a quonam principio, hallucinatio haec derivaretur. Flatus enim, aut foeces ventriculum, & inteſtina nimis diſtendentes inferiora vaſa comprimunt, qua propter difficiliori ex inde per haec humorum circuitu facto ſanguis vel plus juſto in praecordiis congeritur, vel majori in copia ſuperiora vaſa pervadit, hinc deſcripta incommoda in-

---

braliam, carotidumque arteriarum immiſſariis innaſcentiam rudimenta; alia quoque ratione a viribus ſcilicet, quibuſcumque arterioſarum tunicarum fibras ſive impellendo, ſive premendo, ſive pulſando, ſive contundendo valide diſtrahentibus ſaepe produci contendit.

(*a*) Epiſt. XVII. artic. 24.

(*b*) Obſerv. 2.

ingruunt, quae tolluntur, ſi ſanguinis circulatio omnibus in corporis partibus, aeque facilis, per foecum ſcilicet dejectionem, vel flatuum eruptionem reddita fuerit.

CXXXIX. Novum non eſt interdum auram quamdam aſcendentem ab ipſis aegris percipi: quare medici, qui hanc variis in convulſivis affectionibus frequentiſſime adnotarunt, ad hujuſmodi claſſem etiam infirmitatem hanc referunt, non ſine ſummo ipſorum aegrotantium detrimento. Verum malum hoc convulſivum non eſſe, ex ipſis antecedentibus deducimus, nec non ex aliorum ſymptomatum defectu ad nervoſas affectiones ſpectantium: ultimo tandem ex quadam anteriora verſus reſidendi neceſſitate, qua fit, ut reſpiratio, & deglutitio faciliores evadant, aliaque ſymptomata mitigentur.

CXL. A nervis morbum hunc pendere non infrequenter putant, quia ſymptomata (n. CXXXVI. & CXXXVII.) enumerata periodice tantum vel poſt certas aëris tempeſtates recurrunt, & poſt paroxiſmum aegri optima fruuntur valetudine, nec non opiatis, vel antiſpaſmodicis remediis ſaepe dicta ſymptomata obtunduntur.

CXLI. Ex his (CXII.) tamen ſtatim inferre nobis non licet morbum convulſivum eſſe: ſiquidem aneuryſma praecipue, ſi in ejus initio ſit, nullam, aut fere nullam parit moleſtiam, niſi per corporis, animique motus ſanguinis circuitus augeatur, vel ejus maſſa increſcat, vel impedito per inferiora circuitu, ſanguineus humor ad ſuperiora ſeſe determinet. Hoc poſito, intelligimus quare conſtans cauſſa effectus periodice recurrentes gignat, ideſt quia poſt nimiam ventriculi repletionem, vel locorum acclivium aſcenſum, vel poſt animi contentiones, praecipue ſi haec omnia tempore nubiloſo, & pluvioſo, vel flantibus Borrealibus ventis fiant, hi tantum ſenſibiles evadunt, teſtante VALCARENGHO (*a*); nec mirum eſſe debet ſi aneuryſma, quod effectus medico ſenſibiles non parit, ani-

(*a*) Obſerv. 1.

animalem oecconomiam parum, vel nil laedat, & aegri extra paroxiſmum optime valeant. Opiata tandem aliquoties his in morbis utilia ſunt, non tantum quia ſpaſmos a nervis pendentes compeſcunt, ut ait VALCARENGHUS (*a*), unde ſanguinis aequabilis diſtributio perturbabatur: verum quia ſomno inducto lenior fit ſanguinis motus, ac proinde minor aneuryſmatis diſtenſio. Quod enim dicitur tum de laxatis per opium cordis fibris, tum de imminuto hinc ſanguinis motu, repugnat HALLERI experimentis, opio vim cordis augeri oſtendentibus.

CXLII. Adnotare tamen expedit, omnibus rite perpenſis aliquid certe praeter naturam in ipſo aegrotante extra eundem paroxiſmum in pulſu, vel in reſpiratione inveniri, quod non leve erit praeſentis aneuryſmatis indicium. At ſi inſultus conſtanti quodam ordine ab una parte incipiant, in qua vas aliquod in aneuryſma dilatari poſſit, vel ab eiſdem cauſſis ſemper excitentur, & ſine alio manifeſto morbo aegri ad maciem vergant, palleſcant, & ſub eorum oculis oedematoſus ſubflavus tumor appareat, tunc omnis tollitur de convulſiva, vel hypochondriaca affectione dubitandi locus.

CXLIII. Hactenus de ſignis aortae aneuryſmatis in genere dicta nos monent, alia eſſe addenda, quibus peculiares ejus dilatationes dignoſcuntur. Aortam igitur prope ejus arcum aneuryſmaticam indicant *dolor non modo in pectore ſed etiam in humeris, Brachiis....; ſomni parum, iſque non raro interruptus* (*b*), *in lecto decumbendi ſaepe impotentia, atque inclinato antrorſum corpore ſaepe levamentum majus: ſpiritus ita non nunquam impeditus, ut ſubito ſtrangulationis metum incutiat* (*c*). Organicum hoc vitium in ſuperiori magnae arteriae trunco eſſe putat VALCARENGHUS

(*a*) Eod. loc.

(*b*) Clariſs. Gorter aphor. 315. docet quod *ut ſomnus fiat placidus aequabilis: requiritur per omnia vaſa motus ſanguinis nulla irritatione perturbatus.*

(*c*) Freindius hiſt. Med.

GHUS (*a*) *Si diſpnoticos inſultus .... ſimilis ſemper ardor, & dolor* praecedit, ad brachia aequaliter productus, & nulla adſint, vel fuerint ſigna, ex quibus cordis molem auctam eſſe credere poſſimus.

CXLIV. Verum difficillimum eſt aneuryſma internoſcere ſupra ipſius aortae arcum, (dummodo tale non ſit, quod in tumorem coſtas ipſas elevet, vel ſupra ſternum emineat) ſitum, quia tum ob ſternum, vel ob alias interpoſitas partes ejus pulſatio diſtingui non poteſt: ne vero ex defectu pulſationis praeſentibus aliis ſignis aneuryſmaticum vitium abeſſe ſtatim pronuntiemus, ſcire opportet, VALCARENGHUM (*b*) nullam pulſationem in aliquibus aneuryſmaticis praecordiorum vitiis adnotaſſe. Nec minorem difficultatem offendimus, ſi hoc in aorta deſcendente ſedem habeat; minus enim moleſtum eſt, mitioribusque ſtipatur ſymptomatibus: idcirco medici quamvis exercitati non raro decipiuntur. Utcumque tamen ſit; dolor ad inferiores dorſi vertebras, ad ſcapulas, & ad claviculas nunc plus, nunc minus intenſus, vagus, inanes vomendi conatus tam pleno, quam jejuno ventriculo, ſuperiorum arteriarum concitatior pulſatio, ſpecialiſque pectoris ardor, & praecipue circa dorſum in lecto, & quidem prono corpore facilior reſpiratio, quae omnia cum augeantur ad corporis motum & praeſertim, ſi brachia validius extenduntur, in ſuſpicionem nos inducere poſſunt de aortae deſcendentis aneuryſmate, quemadmodum Clariſs. VALCARENGHUS (*c*) in Bibliopola quodam obſervavit, qui hujuſmodi aneuryſmate laborabat.

CXLV. Otio abutentis eſſet, ſi de illis omnibus, quae in aortae deſcendentis aneuryſmate occurrere (n. cxliii.) diximus rationem ex phyſiologia, nec non pathologia deſumptam reddere, eorumque agendi modum indicare animus eſſet, cum haec omnia illis etiam per ſe pateant, qui

---

(*a*) Obſerv. 1. (*b*) Obſerv. 2. (*c*) Obſerv. 3.

qui medicinam vel a limine ſalutarunt. Quare & nos cum Clariſs. ALBERTINO (*a*) hoc unum tantum animadvertimus *aneurysmata orta longius a corde dolores vehementiſſimos identidem traxiſſe: non quod oſſeis frequentiſſimis ſquammis eſſent referta (his enim in Wepfero quoque aorta fere tota ſcatebat, nec dolores aderant) ſed quod vel ob peculiarem ſuae figurae modum ſanguiniſque impulſum ac indolem, impenſius celeriuſque in ſuis fibris diſtraherentur, vel tendinem, ſeu nervorum truncum, aut aliam ſenſilem partem in primis contra os aliquod ſuis ictibus impellerent*. Si haec negari non poſſunt, quid dicendum de Doctiſs. VALCARENGHI opinione, qui nos diſtinguere poſſe ſcripſit utrum aneuryſma valde magnum ſit, an vero parvum, ſed oſſeis ſquammulis refertum, dummodo malum ſimplex fuerit, ex eo, quod primum minus inferat incomodi, & dolores, ardoreſque parum, vel nil infeſtent. Secundum vero magnas procreet moleſtias, & dolores ad Brachia, & humeros producantur, ardoreſque ſubſterno, vel illis in locis, ubi aneuryſma latere poteſt, perſentiantur?

CXLVI. Quoniam a contuſione, vel ab aliis externis cauſſis aneuryſmata gigni toties jam (n. LXXVI.) monitum fuit, inutile non erit, cum Clariſſ. LANCISIO addere (*b*), quod ſi quis poſt aliquam percuſſionem *inde vel brevi, vel poſt longum tempus, incipiat perſentire ſub eadem parte pulſationem diu perſeverantem, primum abſque febri, mox vero exilitate, atque inaequalitate motus illius arteriae, quae infra dilatationem poſita eſt*, Diagnoſis *erit in aperto, praeſertim ſi pulſationi tumor appareat, qui aliquando... ſenſibus non adeo facile oſtenditur*: & tandem cum VALCARENGHO aſſeverare licebit, ſi poſt aliquam evidentem cauſſam, quae proxime afficeret unam ex illis partibus, quibus contigua ſunt vaſa, ibi dolorem, & ardoris ſenſum percipi debere ab aegro. Haec incipientis aneuryſmatis indicia fere certa erunt.

CXLVII.

(*a*) Citat. diſſert. pag. 388. (*b*) De aneuryſ. in gen. prop. XXIII.

CXLVII. Bronchiales (*a*), & intercoſtales arterias aneuryſmate corripi, certiſſimum eſt, cujus diagnoſis ex dictis (n. c.) ad praeſentem uſque numerum, ne jam dicta repetantur, deducenda videtur. Etenim ſi omnia, & ſingula ſigna, quae nunc uni aneuryſmati, nunc alteri propria ſunt, enumeranda eſſent, in immenſum creſceret opus, nec majorem utilitatem afferret; quoniam haec ſymptomata perpetuo variare, & a diverſis cauſſis proficiſci poſſe, ex ſimilium morborum hiſtoriis ſat, ſuperque compertum eſt.

(*a*) Videantur Act. Acad. Bononien. Tom. 1. in opuſcul. p. 345.

CAPUT X.

De Aneuryſmatum prognoſi.

CXLVIII. At cognito morbo, quaenam curationis ſpes ſupereſt? Re quidem vera aneuryſmatica, & varicoſa praecordiorum vitia periculoſa admodum ſunt, potiſſimum ſi jam adoleverint, aut alios ſibi adjunxerint morbos. Adhuc hiſce in morbis curandis Medicinam in incunabilis fateamur oportet, quin immo in adulto jam aneuryſmate radicalem curam impoſſibilem eſſe, & tantum palliativam locum habere.

CIL. In genere tamen obſervatum fuit Juniores, & robuſtiores Homines hiſce morbis correptos citius perire, quam imbecilles, vel aetate provectos, diutiusq; eorum vim ſuſtinere mulieres, quam viros, & tandem Religioſos, Virgineſque Veſtales multos annos haec ſtructurae vitia perferre. Alios poſt paſtum, vel aliquem corporis motum repente mori, ex ſyncope ſcilicet, vel ex aneuryſmatici, vel varicoſi ſacci ruptione, alios vero lente hiſtoriae Medicae teſtantur, nec non ipſe ALBERTINUS (*a*), & LANCISIUS (*b*).

CL. Interdum vero ſi ruptio ſtatim magna non ſit, ſed lente, & ex anguſto orificio Sanguis effluat, vel aliquod accedat impedimentum ſanguini ipſo hiatu exeunti, tunc aegri aliquot horas a manifeſtis ruptionis indiciis ſuperſunt, uti, multis aliis omiſſis, videre eſt apud MORGAGNUM (*c*), ubi quemdam aegrum ad decem horas poſt aneuryſmatis diruptionem vitam duxiſſe narrat, & ante hunc jam obſervaverat VALCARENGHUS (*d*) in nobil. Sebaſtiano Saitz, qui poſt violentam vociferationem, diſ-

(*a*) Cit. differt. (*b*) Repent. Mort. lib. 2. obſerv. 45.
(*c*) Epiſt. XVIII. art. 26. (*d*) Obſ. 2.

diſrupto aneuryſmate, & paulatim effuſo ſanguine ad quatuor circiter a diruptione horas ſuperſtes fuit. Multos a validiſſimis cordis palpitationibus ſuffocatos, perire ſcribit ILLUST. ARCH. SENACIUS (a), non raro etiam abſque ruptione aegros aſphyxia correptos ad aliquot dies vitam duxiſſe. In aliquibus autem mala haec cito ad acmen ſuum perveniunt, in aliis contra. Interdum eorum ſymptomata perfecte intermittunt, hinc ſanationis ſpes afſulget, nec non hallucinationis cauſſa exoritur uti (n. XXXIX) vidimus: in aliis vero haec violentiſſima ſunt, & in ſingulos dies increſcunt, donec aegrotum e medio ſuſtulerint.

CLI. Quod ſi hujuſmodi mala diutius perdurant, alios & novos morbos ſibi adſciſcunt, inter quos praecipue enumeranda veniunt pedum Oedema, haemoptyſis, vel hydrothorax, hydrocardia, pulmonum inflammatio; orthopnaea quoque, febris hectica, & non raro polypi oriuntur, hinc aegrotantium corpora palleſcunt, macreſcunt, debilitanturque donec lenta mors eorum miſerandae vitae finem imponat. Crambem recoquere eſſet, ſi hactenus enumerata mala vel a retardato per inferiora ſanguinis circuitu, vel a plus juſto in pulmone detento, vel ab ipſius compreſſione, vel ab impedita per vaſa ſymphatica humorum circulatione, vel a prava ſangnificatione gigni, & haec eadem pejora, majoraque eſſe, quo aneuryſma majus, & cordi magis vicinum fuerit, ſignificarem.

CLII. Aliquantulum diſſimilia ſunt incommoda, quae ab aortae deſcendentis aneuryſmate gignuntur, variae, ſcilicet, viſcerum imi ventris, & ipſius maſenterii obſtructiones, & alia, quae ab ipſo MORGAGNO (b) indicantur, explicanturque. Spinam dorſi tandem, claviculas, coſtulas, ſternum diſtorquere, diſrumpere, elevari a validiſſimis aneuryſmatum ictibus, nec non ab ipſo ichoroſo corrodentique humore in haec effuſo ex toties citatis auctoribus eruitur.

 CLIII.

(a) Lib. : cap. 9. n. 9. (b) Epiſt. XVII. art. 16., & alibi.

CLIII. Hinc concludendum eſt, magno cum ſtudio, & diligentia inquirendam eſſe iſtorum morborum adhuc naſcentium diagnoſim. Nam ſi hi naſcentes, & occulte inſidias tendentes dignoſci poſſunt, non vana ſpes affulget prolatandae mortis; quod ſi non penitus amoveri iſtiuſmodi morbos, leniri certe, quin immo ex parte coërceri, ne celeriter increſcant, & ad pejora contendant, & reprimi poſſe, ex Medicis obſervationibus, & hiſtoriis ſatis abunde conſtat (*a*).

CA-

(a) Licet raro, attamen hiſtorias habemus, quae curata fuiſſe aneuryſmata teſtantur, ut (n. clvi.) videbimus.



CAPUT XI.

De aneuryſmatici, & varicoſi generis dilatationum cura.

CLIV. QUamvis enim hos morbos, ſi jam adoleverint, inſanabiles eſſe (n. cxlviii.) dictum ſit; attamen omnia remedia, quae eorum indicationibus ſatisfaciunt, in uſum trahi debent, ut aegros diutius, quoad fieri poteſt, in vita conſervemus, & fortaſſe etiam eos perfectae ſanitati reſtituamus, ut (n. cliii.) monitum fuit. Verum alia quoque eſt ratio, cur hujuſcemodi aegri tanquam inſanabiles habendi non ſint, ſcilicet, quia infiniti prorſus morbi varicoſa, & aneuryſmatica vitia ita ſimulant, ut protopathici eſſe credantur, quos vel ipſa curatio vel cadaverum ſectio deuteropathicos fuiſſe evincunt, quod Clar. HAENNIUS (*a*) non tantum admonuit, verum etiam variis obſervationibus confirmavit.

CLV. Iſtiuſmodi morbis laborantes ad multos annos vitam duxiſſe, medicae teſtantur obſervationes, inter quas una extat in ACT. ERUDIT. LIPSIAE (*b*) alicujus faeminae, quae per quinquaginta annos aneuryſmatica vixit. Alias autem referre hiſtorias, in quibus ad quatuor, octo, decem, quindecim annos inter vivos fuiſſe aneuryſmate affectos legitur, fruſtraneum eſſet, cum certum ſit multa ex his vitiis uſque ab infantia incepta, non niſi in Juventute ſenſibilia evaſiſſe (*c*): imo raro admodum eſſe aneuryſmata vera repente exorta, arbitrarer.

CLVI. Minus veroſimile fortaſſe aliquibus videbitur, aneuryſmata perfecte curata fuiſſe. Verum illud evaneſcet

ſi

(*a*) Rat. medend. pars 4. cap. 2. §. 6.
(*b*) Ann. 1692. p. 220. (*c*) Vid. Matani cit. diſſert.

ſi conſideremus ipſum AUCTOREM *de morbis*, ubi de venarum pulmonalium varicibus verba facit, has curationem admittere cognoviſſe, & ſimul therapeuticam indicaſſe; (a) inquit enim: *conducit autem talibus*, aegris, *ſi ab initio curandos ſuſceperis, ut & vena de manibus ſanguinem emittant, & diaeta, e qua quam ſicciſſimus & exanguiſſimus fiat*. Hanc autem crudelem methodum optimo effectu non carere comperit idem auctor: nam, ſi *curentur incipiente morbo, ait* (b), *rurſus in loco vaenae conſidunt ad latus, humileſque fiunt*: at quod in ipſis venis evenit, non ne eadem adhibita cura eumdam & in arteriis, licet minus facile, obtinemus effectum? Rem ita ſe habere oſtendit Clar. VALSALVAE obſervatio. Hic enim Clar. Vir in quodam nobili homine vidit, quem ex pulſatione, aliiſque ſignis aneuryſmataticum eſſe agnoverat, & ſimili modo perfecte ſanaverat, licet poſtea ab alio morbo oppreſſus fatis ceſſerit, vidit, inquam, arteriam, in qua *olim initium aneuryſmatis fuerat, contractam rurſus ad naturalem modum, ſed quaſi calloſam eo loco deprehendit* (c); ex hac autem hiſtoria certe inferendum, aneuryſma vere ſanatum fuiſſe, nec ullum ſupereſſe dubitandi locum, morbus hic fuerit ne protopathicus, an vero ſympathicus; accurata enim facta ejus cadaveris ſectio primarium fuiſſe apertiſſime demonſtravit.

CLVII. Ut vero hujuſmodi effectionum cura recte inſtituatur, ſedulo indaganda ſunt, quae anteceſſerunt, & quae preſentem morbum concomitantur. Cognitis enim cauſſis, atque bene perſpectis optimis remediis, quae ſcilicet his effectricibus cauſſis tollendis, vel ſaltem mitigandis apta ſint, ad indicationes curatorias deveniendum eſt, quae duae praecipue ſunt, id eſt, fluidorum niſum in vaſa imminuere, & vaſorum reniſum in ipſa fluida ita adaugere, ut ſolida, & fluida priſtinum nanciſcantur aequilibrium: dein morboſam humorum diatheſim, & depravatam

(a) Auctor de morbis L. 1. n. 10.
(b) ibidem (c) Morg. Epiſt. XVII. art. 30.

tam quocumque modo organorum ſtructuram quoad fieri poteſt emendare, ut quidquid alicubi praeter naturae leges, & ordinem accreverit, aut pravi exuberantiſque humoris confluxerit, aut prodierit, id de medio tolli, & ad priſtinum ordinem, juſtamque oeconomiam reddi poſſit.

CLVIII. At in eo labor: ſiquidem id praeſtare non adeo facile poſſumus abſque pejoris mali, nec non ipſius mortis periculo. Tam enim difficile eſt, ne dum vim ſanguinis in arterias, & venas incurrentis retundere, aut ipſorum vaſorum in liquida reagentium augere ſatagimus, motus eorumdem liquidorum nimis intendatur, ſed tantum quantum neceſſe eſt ad vitam ſervandam ſuperſit. Quod quam arduum ſit, ipſe fatetur ALBERTINUS (*a*); ut aſſerere non dubitet, ſi in aliis, in his certe morbis locum habere HIPPOCRATIS dictum, ſcilicet: *equidem vehementer hunc medicum laudem, qui parum peccet: utpote in quibus peccari poteſt & facilius, & gravius.*

CLIX Quidquid tamen ſit, omnibus in aneurysmatibus, & a quacumque cauſſa pendentibus, cura inchoanda eſt a tenuiſſimo, mitiſſimo, & temperanti victu, & repetitis vicibus modica quantitate exhibito, ut parum blandiſſimi chyli una vice ſanguini commiſceatur. Summa corporis animive quiete, potu aqueo, & levi, mitioribuſque alterantibus, utpote quae ad moderandum inminuendumque ſanguinis niſum nata facta ſunt. Quid quod ipſa venae ſectio hiſce in morbis effectu non caruit? Conſtat enim enim SENACII (*b*), ALBERTINI, & GARZIAE a LOPES (*c*) obſervationibus, quorum ultimus quodam in viro, cui arteria loco venae ſecta fuerat, ſanguinem ad libras effluere permiſit uſque dum ſyncope ſequeretur, & ita magna ex parte ipſis vaſis

---

(*a*) Cit. opuſc.

(*b*) Lib. (n. cl.) citato.

(*c*) Albertini cit. diſſert. p. 398., & Morgagni Epiſt. 17. art. n. 30. & 31.

ſis inanitis, arteriarum diaſtoles, & ſyſtoles debiliores eſſent; tunc parti affectae ſplenium appoſuit, quo octiduum poſt vas ipſum coaluit, atque aegrotus aneuryſmatis periculum ſuperavit. Venam autem non ita indiſcriminatim ſecandam putamus, quia non ſemel ſubita aegrotantium mors ſecuta fuit, ſummo cum Medicinae dedecore, nec non ipſius Medici famae imminutione.

CLX. Ne vero, his ab exemplis perterriti, plus juſto ſanguinis miſſionem fugiamus, animadvertendum eſt, ipſum cautiſſimum MORGAGNUM, poſtquam malos effectus enumeraſſet, qui ab intempeſtiva venae ſectione orti ſunt, ita concludere: *non tamen prohibere debet utiliſſimum incipiente, & progrediente aneuryſmate venae ſectionis praeſidium* (*a*). Hoc autem naturae conſonum eſſe videtur, cum ipſa per haemorrhoides ſaepe ſaepius ſanguinis fluxum promoveat magno cum aegrotantium emolumento, & levamine. Haec autem generatim convenit, immo utiliter adhibetur in incipiente morbo, aut nondum provecto, ſtatum nimirum non praetergreſſo, dummodo aetati, temperamento, viribus, regioni, anni tempeſtati, aliiſque proportionalis ſit.

CLXI. In vehementiſſimis, validiſque cordis palpitationibus (*a*) venam ſecandam eſſe, ex eo judicamus, quia non ſemel contigit, ſimplicem cordis palpitationem, pro ejus jam adulto aneuryſmate, habitam fuiſſe; quod ſi, hoc in caſu, ſanguinis miſſionem nimis reformidant Medici, tunc vera conſequitur praecordiorum dilatatio, quam ſane praecaveri potuiſſent, ſi phlebotomia inſtituta, ipſa profligata fuiſſet. Nec minus eſt neceſſaria in majoribus ſpirandi difficultatibus, & ſuffocationis periculis, cordiſque oppreſſionibus, praecipue vero ſi ſputa ſanguine tincta, aut mere ſanguinea apparuerint, dummodo prudenti, & parca manu inſtituatur, ut eamdem, toties quoties occaſio ſe obtulerit, repetere poſſimus abſque ullo aegri diſcrimine, vitae-

---

(*a*) Epiſt. nup. cit. art. 31.

vitaeque periculo: quod ſi prae nimia ipſius aegroti debilitate ſanguinis miſſioni locus minime ſit, ad remedia tunc confugiendum erit, quibus ſanguinis ſputum ſiſtatur: ſiſtendo itaque, vel praecavendo ejuſmodi ſputo ſumma quies, lucis privatio, potus frigidus, & demulcens, aër frigidiuſculus, aliaque imperanda ſunt: ſuccum vero concretum hederae terreſtris una cum terra Catechù ſaepe ſaepius, ſimili in caſu, remedio fuiſſe obſervavit ALBERTINUS (*a*).

CLXII. Ad ſymptomata, acceſſioneſque praecavendas verno, & autumnali tempore optimo cum eventu vena ſecta fuit, ut obſervavit Clariſſ. VALCARENGHUS (*b*). Nec ab hoc remedii genere nos removere debet extremarum partium oedema, ſi hoc ſimplicem effectum eſſe retardati, vel impediti ſanguinis circuitus, vel depravatae mechanices in organis ipſius ſanguinis circulationi dicatis, innoteſcat: ALBERTINUS (*c*) enim facta venae ſectione, liberioreque ſanguinis motu reſtituto frequenter evaneſcere, ſua in praxi comperit, quod etiam notum, teſtatumque facit propria experientia ſuffultus Cl. Praeceptor.

CLXIII. Facies vero tumida, pallidus virginum color, cachecticus habitus, venerea, aut ſcorbutica cacochymia, & illa omnia, quae proximum in hydrothoracem, aut hydropem univerſalem tranſitum praeſagiunt, vel ſi qua alia adſint ſanguinis miſſionem contraindicantia dicta, hanc fugiendam eſſe admonent. Ab hac etiam deſiſtere debemus, ſi ſolitum amplius non inferat levamen. Cavendum tamen eſt, ut melius propriae famae conſulamus, ne invito aegro, aut admodum recuſante, venae ſectionem inſtituamus: novum enim minime eſt ſub ipſa ſanguinis miſſione, aut paulo poſt aneuryſma diſrumpi (n. clix.), & aegros cito, & miſere perire, quod ſpeciatim evenit in magnis arteriarum dilatationibus, idque ab aucta ſangui-

(*a*) Cit. Opuſc.
(*b*) Obſ. 1.
(*c*) Lib. n. ſuper. cit.

guinis velocitate per venae ſectionem deducimus.

CLXIV. Sanguinis miſſione facta, ſi primarum viarum ſaburrae non levia adſint indicia, in uſum vocanda ſunt remedia alvum moderate lenientia, aut ſimplices tantum clyſteres: validorum vero catharticorum uſus noxa non vacat; notum enim eſt, obſervationibuſque comprobatum, nonnullos imprudenter ſumpto cathartico, paulo poſt, immo ſub ipſa alvi dejectione, e vivis migraſſe.

CLXV. Cum vero dyſpnoea, & externarum partium tumor augentur, tum ſolis clyſmatibus ventrem ſubducendum eſſe ſcribit ALBERTINUS (*a*) ex urina pueri, ſale prunellae, vel nitro ſtibiato, aut terebinthina vitello ovi ſoluta, aut ex melle ſolutivo, & ſimilibus paratis: quod ſi ſpaſticae, & dolorificae ventris contractiones merito leniſſima, & anodyna poſtulare videantur, haec in alvum optimo cum eventu injici poſſunt.

CLXVI. At ſi urinas ciere animus ſit, hae mitiſſimis diureticis ſollicitentur, qualia ſunt Syrupus terebinthinae, eo praeſertim, qui fit ex ſaccharo roſato vel cydonite, infuſio millepedum quoque, vel eorum pulvis, liquor terrae foliatae tartari &c., a fortioribus vero diureticis, ut noxiis, abſtinendum eſſe reputamus. Clar. enim ALBERTINUS ab his motum ſanguinis concitari, doloreſque nephriticos, & calculos in nonnullis genitos obſervavit, qui nunquam antea iiſdem obnoxii fuerant, & hydropem etiam ſic augeri, ut miſeri aegrotantes penitus orthopnoici evaſerint, quamquam in principio ab uberiori urinae fluxu convaleſcere viderentur, immo poſt ſubitam, magnamque virium jacturam non infrequenter eos praeter omnium expectationem celeriter mori. Similia ab hujuſmodi remediis in hydrothorace etiam, ubi nullum aneuryſmaticum vitium erat, non ſemel in Noſocomio videre nobis contigit.

CLXVII. Caeterum omnia calidiora, & nimis concitantia

(*a*) Cit. lib.

tantia remedia his in vitiis curandis procul abſint, utpote quae ſanguinis circuitum nimis adaugent, validiorique impetu in partem affectam, minuſque reſiſtentem impellunt, quo aneuryſmata, & magis dilatari, vel etiam diſrumpi poſſunt. Qua igitur cum diligentia inquirendum ſit, utrum morbus a flatibus, an ab interno aneuryſmate pendeat, nemo non videt. Etenim quae in illis juvant, in his exitialia ſunt.

CLXVIII. Ita ſanguinis impetu imminuto, ut alii indicationi (n. clvii.) curatoriae ſatisfaciant, Medici in uſum trahunt roborantia, & vulneraria, nec non adſtringentia remedia. Verum haec ſumma cum animadverſione, & ſelectu adhiberi debent, ne vaſa, quae roborare ſtudemus, ab hujuſmodi pharmacorum uſu ſanguine validius in ea impulſo, potius debilitentur, nec non diffringantur.

CLXIX. Potiſſimum vero ejus indolis ſint, oportet, ut ſanguis vel ſatis fluidus fiat, ſi nimia denſitate peccet, & contra, ſi tenuitate, debitam conſiſtentiam acquirat. Alterutrum enim vitium ſaepe his in morbis obſervatum fuit (*a*), & ultimo mitioris naturae ex illis eligantur, quae ſolida corroborant, ſanguiniſque motum haud accelerant.

CLXX. Ex alterantium itaque claſſe, ea in uſum trahenda ſunt, quae magis cauſſas morbificas tollere, aut ſaltem obtundere valent, idque prudentis Clinici erit. Hujuſmodi ſunt taraxacon, cichoreum, acetoſa, & ſimilia, quae egregie temperant, refrigerant, & preſertim ex ſero caprino decocta. At ſi adſtringendi, & blande ſeroſam colluviem ſimul per urinas educendi ſit animus, tunc conſoli-

L 2 dam,

(*a*) Albertinus cit. opuſc. vidit monialem praecordiorum aneuryſmate affectam, quae diabetica ſanguinis diſſolutione conflictabatur, & mulierem cujus ſanguinis tam craſſus, & denſus apparuit, ut e manu ad uncias ſex, in quatuor circiter libras aquae communis effuſus hanc ita coëgerit, ut dum removeretur e vaſe, figuram ejus aliqua ex parte retineret.

dam, plantaginem, agrimoniam, hyperici cymata una cum floribus macerata, hederam terreſtrem, meliſſam optimo cum eventu adjieciſſe, ſcribit ALBERTINUS.

CLXXI. Iis autem, qui ſerum lactis vaccinum, vel caprillum ferre non poſſunt, & ſimilia ex vegetabilibus decocta nolunt, jura ex pullis gallinaceis ſufficere cum incocta meliſſa, conſolida, hedera terreſtre, aliiſque huiuſcemodi, additis in fine floribus ejuſdem hederae, vel ex cancris fluviatilibus, & carne ranarum non paluſtrium, idem pariter auctor proponit. Haec autem omnia ſunt ne ſuperando morbo paria? Victa ne ejuſmodi remediis aneuryſmaticorum incommoda? At ex ipſomet ALBERTINO haec utpote compoſitiora aegros ferre ſeape non potuiſſe, & ad ſimpliciora tunc confugiſſe majori cum emolumento, abunde conſtat.

CLXXII. Quod ſi eo adducta ſit aneuryſmatica affectio, ut ſocios ab ipſo etiam initio alios habuerit morbos, tunc adjicenda eſſe modo abſorbentia, modo antiſcorbutica, modo nervina, & antiſpaſmodica, modo antivenerea, aliaque pro re nata, neminem fugiet. Ita ſi hypochondriorum affectiones, & oedemata, ſyphillis, podagra, & ſcabies retropulſa, evacuationes ſuppreſſae aneuryſmati occaſionem praebuerint, vel illud foveant, peculiarem etiam animadverſionem expoſtulant. His autem remediis eſt conſulendum, quae ab auctoribus adverſus hujuſcemodi affectiones commendantur.

CLXXIII. A Lue venerea aneuryſma gigni jam (n. lxxi.) vidimus, & ex mercurialium externo uſu aneuryſmata exorta fuiſſe (n. lxxix.) expoſuimus. Inquirendum nunc, quomodo Syphillidem, ſi cum aneuryſmatico vitio conjuncta ſit, curare poſſimus: qua de cauſſa ſequentem facimus diſtinctionem: vel aneuryſma primario pendet a ſanguine veneno gallico affecto, & tunc, ſi aliqua antiaphrodiſiaca quidquam valent, ad hydragyrum, ſed magna cum circumſpectione deveniendum eſt; quod ſi aeger aneuryſmate jam laborans lue venerea afficiatur, tunc ſi mitioribus antiveneriis remediis

non

non ſanatur, ad fortiora non eſſe procedendum putamus. Hujuſmodi autem in caſu, loco mercurialium inunctionum, per quas magna copia mercurius in corpus ingreditur, & potius pondere, & impetu agit; alia ex hydrargyro parata remedia, quae ſtimulo magis, quam pondere agant, erunt adhibenda.

CLXXIV. In magnis, ſummiſque reſpirandi difficultatibus,, quae ſaepe, quamvis conſtans cauſſa ſit, periodice reccurrunt, vel ſaltem ingraveſcunt, ſi venam ſecare non liceat ad alia praeſidia, quae reſpirationem faciliorem reddant, & vires erigant, confugiendum eſt. Huic ſcopo optime faciunt omnia volatilia naribus admota, ut ſunt ſpiritus fuliginis, meliſſae, ſanguinis humani, ſalis ammoniaci, acetum vini, liquor C.C. ſuccinatus, quin immo aliquot eorum guttae intrinſecus dari poſſunt aqua hyſopi, vel capillorum veneris exceptae: oleoſa quoque inter optima remedia non infimum obtinent locum; quod ſi alvum etiam ducere expediat, ut etiam ſpiritus facilius trahatur, tunc vel aucta olei mitioris doſis, vel eidem addita exigua rhabarbari portio ſcopum attinget.

CLXXV. Verum tam internis, quam externis remediis, omnibus palmam fere praeripiunt artuum fricationes, vel eorum in aquam calidam immerſiones (*a*). Quocumque enim modo ſanguis in praecordiorum arteriis, atque in aneuryſmate colligatur, hic proprio pondere, & mole anxietates, ſpirandique graviſſimas difficultates parit; quae evaneſcunt, ſi, liberiori, faciliorique per alias arterias ſanguinis circuitu reddito, haec, ut ita dicam, congeſtio reſolvatur: quod obtinemus aqua calida exteriora, & remotiora vaſa laxando. Hoc autem remedii genus opportuniſſimum eſt, ubi brachium ſiniſtrum, quod ſaepe accidit dolore, aut torpore corripiatur. Dum enim ſic aqua calida foventur, ſi ſimul frictiones inſtituantur, promptiſſima revulſio fiet, qua ſi quis ſpaſmus adjunctus ſit, relaxatur: immo

(*a*) Epiſt. XVII. art. 27.

immo ſola frictiones, etſi ſiccas, tremores, ſpaſmos, jactationes ſopire, ſomnumque blande accerſere Sapientiſſimo, & Humaniſſimo cum Praeceptore noſtro BORSIERI aſſeveramus.

CLXXVI. Neque aqua calida tantum aliquibus attulit ſolamen, verum etiam ipſam aquam frigidam in nudum pectus projectam Juveni cuidam profuiſſe, vidit ALBERTINUS (*a*), nec non in aliis alii auctores obſervavere: an ab impetu aquae, & frigoriſera ejus ſenſatione vaſa jam nimis diſtenta ſe ſe contrahunt, & ultra ſtagnantem ſanguinem propellunt, ſicque anxietatis cauſſam tollunt? Aliqui etiam cordis ſcrobiculum oleo ex Nuciſta, aut ex amygdalis amaris illiniri curaverunt, cui interdum, ſi convulſiones valde affligebant, camphoram, aut theriacam adjiecerunt, ſed modicum fructum, & breviſſimum ex his ſe collegiſſe, Exp. ALBERTINUS ſcripſit (*b*).

CLXXVII. Quod ſi ſanguis, ut (n. clxix.) monuimus ad coagulationem tendere videatur, ex quo facile polypi, & alia ſexcenta mala oriantur, huic vitio occurrendum eſſe ſucco expreſſo lupulorum, aut cherefolii ſuadet ALBERTINUS, cui adjicit lac gummi ammoniaci, nec non doſim aliquam ſpermatis coeti recentis, & ſi ejus vim intendere animus ſit, tunc aliquot florum ſalis ammoniaci grana, vel aliquid ſalis eſſentialis plantarum diſſolventium adjungatur.

CLXXVIII. MATANUS vero (*c*) tot inutilibus medicamentis diſſolventibus acetum praeferendum eſſe ſcribit, utpote magnum diſſolvens, quam proprietatem aceto tribuerunt BOERHAAVIUS (*d*), & BENVENUTUS (*e*). At acetum coagulante, potius quam diſſolvente vi praeditum

tum

(*a*) Toties cit. diſſert.
(*b*) Eod. loc.
(*c*) Cit. in diſſert. 2. 172.
(*d*) Elem. chem. tom. 1. part. 1. proc. 51.
(*e*) De Aceti Vin. Comment.

tum eſſe contra MATANUM, alioſque rationibus, experimentiſque ſuffulti (*a*), dicimus. Oſſa vero ſolvere non inficias imus, quod praeſtant quaecumque acida; ſanguinem contra compingere, & coagulare ex ipſis experimentis notum nobis eſt.

CLXXIX. Hypnotica, & narcotica remedia, opium praeſertim violentiſſimis in cordis palpitationibus, doloribus, aliiſque ſymptomatibus, uno fere ore commendant Medici. Quamvis opium utiliter variis ab auctoribus adhibitum fuiſſe in aneuryſmate laborantibus (n. cxl.) dictum ſit; opium tamen ea cautione detur, ut ea tantum emolumenta obtineamus, quae (cxl2.) propoſuimus, nulla vero noxa a cordis aucta praeter modum vi timeri queat. Quare in hujuſcemodi affectionibus opii loco tutiſſimum Liquorem Anodynum mineralem HOFFMANNI, Aetherem vitrioli, Sal ſedativum HOMBERGII & leniſſima a papavere noſtrati parata remedia commendamus.

CLXXX. Haec praecipua ſunt, quibus morbum ſi non penitus tollere, mortem ſaltem aegrotis procraſtinare poſſumus. Verum poſtquam optimo cum ſelectu adhibita fue-

(*a*) Diverſa enim ratione acetum, cum ſanguine, aut cruore e corpore ſano per venae ſectionem educto, commixtum nullam unquam aut cruoris, aut ſanguinis ſolutionem induxit, quin potius majorem coagulationem, quam ſimplici aqua commixtum. Haec autem experimenta, ut omnem dubitandi aditum praepedirent, a me repetita fuerunt, & multiplici quidam ratione. Etenim nunc purum acetum cum ſanguine, vel cruore, nunc aqua parum, nunc multum dilutum, & frigidum modo 10. modo 20. grad. thermometri Reaumurii calidum, aut 30. 33. 36. 40. 45. 50. 54. & etiam diverſa doſi adhibui, & eumdem ſemper obſervavi effectum, coagulationem nimirum. Hoc autem rationi optime reſpondet, ipſiuſque liquoris aciditati: acida enim ſanguinem coagulare, hanc coagulationem acidi rationem directam ſequi, adeo mihi perſpectum videtur, ut tempus, & operam perdere eſſet, ſi diutius in his inſiſterem. Neque quis regerat, ab experimentis extra corpus non licere concludere ea, quae intus fieri in vivo animali poſſunt; nam acetum in venas infuſum ſanguinem itidem cogere, & coagulare, compertum habemus.

ſuerunt (n. clıx. & ſeq,) hactenus indicata remedia, curationis cardo in optimo vertitur vitae regimine. Quamobrem interdicto vino, omnibuſque ſpirituoſis liquoribus, niſi ſtomachus, vires, aliaque eos exigant, aqua ſimplex, aut ignito chalybe alterata, vel decocta ex lentiſco, ſantalo citrino, hordeo, conſolida majori, aliiſque roborantibus omnis ſtimuli expertibus, additis interdum paſſulis minoribus potui ordinario danda eſt, dummodo eam aegri bene ferant; neque optimo caruit effectu ſimplex aqua Nuceriae pro potu exhibita.

CLXXXI. Pulmenta quoque ex hordeo contrito, vel oryza in lacte vaccino, aut jure cancrorum fluvitialium vel ranarum non paluſtrium cocta ſine alio cibo ſumpta ſaepe profuerunt: lactis, vel ejus ſeri potionem, vel ſimplicis, vel cum chocolata, aliove fervente liquore mixti ad quadraginta, & ultra dies commendavit ALBERTINUS, nec non alii.

CLXXXII. *Lacteam* quoque ſic dictam *diaetam* poſt unam, alteramve ſanguinis miſſionem, & alvum per clyſteres elotam cum continuo in lecto decubitu inſtitutam, & ad triginta, vel quadraginta dies protractam non raro profuiſſe teſtatur VALSALVA (*a*). Qui vero diaetam hanc aliqua de cauſſa ferre non poſſunt, eadem inſtituta vivendi methodo tantum utatur cibis, qui vitae ſuſtinendae vix ſatis ſint: veſperi vero ſomnus, & quies, ſi res poſtulet, emmulſionibus, Syrupo de moeconio, & ſi valentius agere expedit uti in palpitationibus, maximiſque doloribus, etiam laudano liquido, concilietur, ratione tamen ſemper habita eorum, quae (n. clxix.) propoſuimus.

CLXXXIII. Optimo demum in aëre aegri conquieſcere diutiſſime jubeantur, etſi unquam alia incommoda, quae a vita deſide imminere poſſunt, aliquam corporis commotionem exigant, haec leniſſima omnino ſit, oportet: vehementior enim ut vectio in curru, equitatio, atque alia ſimilis repro-

(*a*) Morgagn. epiſt. xvıı. artic. 30.

reprobanda eſt, quia hinc validior ſanguinis motus conci-tatur, quo non tantum inchoata jam aneuryſmata ampliantur, verum etiam nova oriuntur, ut Clariſſimi GORTERUS (*a*), & MANGETUS (*b*) obſervarunt. Quam caute igitur diſtinguendum, morbus hypochondriacus ne ſit, in quo exercitatio apprime convenit, an vero organicus, in quo omnino contraindicatur, & noxia admodum eſt.

CLXXXIV. Ex his omnibus colligitur tam varicoſi, quam aneuryſmatici generis praecordiorum dilatationum diagnoſim difficilem eſſe, eo magis ſub eorum initiis, prognoſim incertam, & luctuoſam, perfectam curationem demum fere ſemper impoſſibilem. Vah! inquiet aliquis, notiſſima doces, neque quidquam novi nobis protuliſti! At, ſi quis eſt naſutulus ejuſmodi, conſideret rogo, qua de re hic agatur, qua ratione, quo ordine, quo delectu rerum, & qua amplitudine. Deinde quantum voluerit, oblateret, carpat, extenuet, per me licebit. Ego quidem contentus ero, ſi haec, qualiacumque ſint, tuo Benevole Lector ſubmiſero judicio; a quo ſi probari ea intelligam, non exiguum ex hiſce laboribus me fructum, & praemium percepiſſe credidero. Interim ſi eam non inveneris ſcribendi elegantiam, quam tanti faciunt Sapientiores, non ſubiraſcaris precor, obteſtorque: idque aetati potius, ac ingenii imbecillitati, &, quod maximum eſt, ipſius temporis anguſtiis, quo haec ſcribere coactus fui, tribuas velim. Namque exactis privatis ad lauream conſequendam periculis, BARTHEZIANI ſyſtematis refutandi provincia tum mihi demandata eſt, quae tamen, opere licet jam provecto, in hanc, neſcio fere quo fato, & qua rerum viciſſitudine praecipiti quaſi auſu mutanda fuit. Neque illud praetermittendum eſt, benevolas, & auxiliatrices mihi manus non accesſiſſe, prout aliis, quae in lucem

M pro-

(*a*) In comment. in aphor. Sanctor. 407.
(*b*) Bibliot. Chiturg. lib. 1.

proferuntur a quibuſdam, acceſſiſſe ſaepe audivimus. Quare ſi quid improvide ac inconſulto peccatum fuerit, quod illi criminari velint, ſapientes, & honeſtos homines, qui nihil humani a ſe alienum putant, pro ſua benignitate excuſaturos eſſe, confido.

		Errata	Corrige
Pag. 8.	lin. 2.	dignam,	dignam judico,
	l. 9.	comendationis	commendationis
10.	l. 6.	& alibi, diſruptiones	diruptiones
11.	l. 16.	diereſim	diaereſim
	l. 30.	occurrent	occurrerent
18.	l. 24.	extitiſſe	extiterint
		contigiſſe,	contigerint
25.	l. 1.	ruptura	ruptio
30.	l. 11.	tunicatum	tunicarum
36.	l. 24	valide	valida
38.	l. 6.	amplectendus	admittendus
	l. 20.	hemerodomos	hemerodromos
40.	l. 29.	contigit in	contingit
43.	l. 9.	accomodatis	accommodatis
55.	l. 24.	caepit	cepit
72.	l. 4.	idetidem	identidem
75.	l. 31.	diſtorquere, diſrumpere	diſtorqueri, diſrumpi
84.	l. 3.	adjieciſſe	adieciſſe
	l 18.	adjicenda	adjicienda
	l. 35.	antiveneriis	antivenereis
86.	l. 1.	ſola frictiones	ſolas frictiones
	l. 15.	adjiecerunt	adiecerunt

= INV - 9287